







Lustrum cum decimum sextumq. ætatis iniret
Hac Franciscus erat Nicoleos facie.
Fortis, magnanimusq. idem, sapiensque, disertusque,
Et Latij cultor nobilis eloquij





FRANCISCI NICOLAI

CARMINA



NEAPOLI.
MDCCLXXII.
TYPIS RAYMUNDIANIS,
SUPERIORUM VENIA.

Nic. Eug. Angelius Lectori.

QUotidianis pene, ut ita dicam, conviciis lacessitus eruditorum hominum, atque doctissimorum, en tandem latina Francisci Nicolai carmina collegi, atque edidi. Anne, dicet fortasse aliquis, sic apud te fluxa maximorum ejus erga te meritorum memoria, ut tanto opus esset negotio, quo tuum in eum, tantula in re, grati animi testimonium ferres? minime quidem; non modo enim semper ante oculos obversatur me quidquid in litteris profecerim si modo aliquid profeci, quidquid denique sim, ei acceptum referre debere, verum perpetuo prae me tuli singularem ejus erga me benevolentiam, amorem, benignitatem, caritatem. At plurimae fuerunt causae, quibus serius quam vellem id efficere potuerim; quarum duae potissimae fuerunt; turbulenta nempe vitae meae ratio, semperque sollicita in alienis curandis quamingratissime negotiis; & maximum inter me, atque eum, intervallum, quo distinemur. Cum enim quamsaepissime per literas secum egissem ut ad me quae apud se exstarent latina sua poemata mitteret; dici vix potest quantas mihi semper, causas praetenderit. Tandem factum est ut, cum ad eum iterum invisendum superioribus annis me Locros contulissem, paucis illis diebus, quibus ibidem moratus sum, naviter operam dederim, ut quidquid vel eum, vel ejus cives rogando, vel ipse furtim surripien-

piendo scriptorum ejus in manus meas perveni re possent, colligerem, & mecum deferrem. Doleo tamen magnopere quod multa interciderint, atque ea præsertim, quae scripsit dum Romae esset; mihique interdum irascor quod negligens adeo fuerim, ut non ea inter pretiosiora servaverim, auro contra non cara. Etsi, ut verum fatear, admodum ea multa non fuere; nam quae primis illis annis, quibus ad Urbem advenit, atque ipse discerpsit, vel combussit, ea fuere, ut eorum non valde sit dolenda jactura. Ille etenim quinque & viginti annos natus cum domo discessisset, nullis bonis vel praeceptoribus, vel demonstratoribus usus, etsi valde memoria ingenioque vigeret, atque assidua multiplicique omne genus scriptorum lectione delectaretur, tamen cum sibi optimos ad imitandum minime proponere potuisset, quippe qui quinam essent optimi ignoraret, nil sane admodum elegans atque excultum scribendo potuit praestare. At postea ab eruditis, doctisque viris, quibuscum frequens versabatur, admonitus, ac praecipue ab eruditissimo elegantissimoque Jacomello, rectam studiorum ingressus viam, mirum quantum in doctrinis, cultioribusque literis profecerit; ita ut cum ejus jam fama in Urbe percrebuisset, certatim viri principes, ac summis praefecti in Romana civitate muneribus, eum vel adjutorem, vel comitem studiorum suorum, vel epistolarum scriptorem advocaverint, ultro rogaverint. Quos inter praecipue numerandus Nicolaus Coscia, is enim grande Nicolai nostri ingenium,

nium, literas, dexteritatem, ac fidem admiratus, haud cunctanter, cum a Pontifice Benedicto XIII. inter Patres Purpuratos est adlectus, ad maxima, quae per eum erant expedienda negotia, illum adscivit. In cujus Pontificis obitu satis luculentum enituit in Nicolao suae integritatis, morumque innocentiæ testimonium. Cum enim non modo ipse Coscia, verum etiam familiares ejus omnes atque amici, vel a concitata plebe divexati, lapidibus insectati, direpti, praecipites ejecti, vel in carcerem conjecti fuissent; unus Franciscus Nicolaus, sua paupertate, recteque factorum conscientia ac fama tectus, tantae immunis extitit tempestatis, perque ipsa celebriora Urbis loca, ad miraculum visebatur: nemini enim non erat persuasum, nihil unquam in eo fuisse, quod a viri boni officio esset alienum. Paucis post annis Cardinalis Alberonus, ac postremo Cardinalis Burghesius ejus sunt opera usi: ille in sua legatione in Flaminiam provinciam, hic in conscribendis latinis epistolis ad Carolum VII. Imp., cum Imperii, ejusque hereditariarum ditionum patronus factus est. Sed quid ego haec persequor? perinde quasi ejus vitae historiam scribere sim adgressus; quod nunc facere in animum non induxi meum. Tantum, te monendum duxi, qua ratione ad me pleraque ejus poemata pervenerint, ut si quid uspiam in hac editione titubatum sit, sive necessariam, ad quorundam eorum intelligentiam, vel ἐπιγραφὴν vel notulam requiras, eorum qui ea exscripserunt negligentiae tribuas. Nec enim

potui

potui ferventi typorum opere, auctorem consulere. Incidi etiam aliquoties in loca vel verbis, vel integris etiam versibus deficientia, quae supplere necesse fuit. Atque utinam conjectura ipsius auctoris vel verba, vel sententiam sim assecutus. Superioribus diebus aliud apud me inveni exemplum carminis in Passione Domini, in quo legitur versus 156.

Adripiunt tenduntque manus utrinque jacentis,

cum correxisset illud hinc inde *a probatissimis scriptoribus minime usurpatum, ut in primis hujus carminis exemplis scriptum erat, unde excerpta est hujus editionis lectio. Id etiam fere plerumque in interpunctionibus accidit, quae cum commata periodorum designent, nemo est qui ignoret quantum valeant ad aliam, vel aliam sententiam induendam. Accuratissima tamen, qua potui, diligentia sum usus, ut sine mendis ederentur omnia. Qua in re multam & navam operam contulit in omni literarum genere doctissimus, moribusque suavissimus Dominicus Malarbius, praeter coeteros Nicolai nostri scriptorum admirator. Nec mirum, tantam enim in hisce poematibus perspicies elegantiam, & non fucatam, sed germanam venustatem; tantam cum exquisita prudentia verborum ac sententiarum varietatem & copiam, ut non facile quem cum eo post beatum illud aurei, ut vulgo appellatur, seculi aevum, comparare possis, adinvenias. Videas enim licet non exilem, non jejunum atque exsuccum poetam, sed*

omnem

omnem tenentem antiquitatis historiam, philosophiam, geographiam, rerumque omnium magnarum, atque artium scientiam; nullis ut terminis, *ut de perfecto Oratore loquitur Cicero*, circumscribat aut definiat jus suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate, & copia vagari qua velit. *Quid dicam de elegantia, puritate, ac proprietate sermonis? adeo in hoc mirandus, ut in medio Latio Augusti temporibus natus, atque eductus videatur, sive sublime ac grave adgrediatur, sive nitidum, sive vernaculum genus scribendi. Scio equidem latine scribendo seculo illo XVI. complures clarissimos viros praestitisse; at nescio quomodo fere plerumque in eorum scriptis nimis exquisitam industriam, & molestam, ne dicam putidam, diligentiam deprehendas. At hic noster, perpetuo par, ubique quiddam recinens Romanum, ac pene nativum, quod sibi assidua, diuturnaque lectione, accuratissimaque commentatione comparavit. Ceterum tuum esto judicium, quod a meo ut minime abhorreat facile quidem confido futurum. Apponendam etiam in calce hujus editionis curavi epistolam Castruccii Bonamicii, qui, dum Romae degeret, Nicolao nostro familiari, ac hospite usus est; qua quidem epistola satis praeclarum, vir acerrimi judicii, protulit testimonium in Hymnum de Diva Ven.re, cum superioribus annis editum est Romae. Dum in eo esset ut haec absolveretur editio, duo ad me pervenerunt auctoris nostri phaleucia, unum ad C.V. Andream Serraum, alterum ad Dominicum Malarbium inscriptum, quae extrema*

ma

ma videbis hujus collectionis poemata. Monstri, mediusfidius, simile, hominem quinque & octoginta annos natum, iis adhuc mentis atque animi viribus vigere, ut haec etiamdum cudat proferatque. Corpore enim senescente, animus ipse, quasi spiritus per tibias vel labefactatas, vel vetustate corruptas, quiddam resonet insuave ac dissonum necesse est; nam, ut ait Lucretius,

. . . ubi jam validis quassatu'st viribus aevi
Corpus; & obtusis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.

Quod praecipue maturius in doctis accidit viris, in quibus assidua, atque acri mentis intentione, animales spiritus citius difflantur, ac dispereunt. Vale.

IN
D. VENERANDAM
V. & M.

HYMNUS.

ET te, Diva, cano Venus o fortiſſima Virgo:
Tertia quandoquidem poſt Chriſti funera, poſtque
Adſcenſum magnae caeli ſuper ardua Matris,
Sunt ſacra Maenaliis tua nunc celebranda colonis.
Anne alios aliàs laudavi carmine ſaepe,
Non divos modo, verum homines, & plurima luſi,
Teque ſinam noſtris illaudatam ire camoenis?
Nec pudeat tacitum de te exaudire canentes,
Queis unus voluique prior, valuique per artem
Sternere iter, Cyrrhaeque ſacros aperire receſſus?
Quin mea jamdudum, Virgo, pietaſque, fideſque
In tete, ac patriam, mihi quae cariſſima ſemper
Extitit, exiguum quamvis hoc muneris eſſet
Muſaei noſtrum, patriaeque, tibique, petebant.
Illa etenim, ſeſe licet inter tollere poſſit
Illuſtres urbes, uno nec nomine; belli,
Paciſque ſtudiis quae florentiſſima; vere
Quod Sagra, pugnatae ac magnae terraque, marique
Pugnae, totque manu declarant oppida capta:
Artibus atque bonis exculti pectora cives
Omnibus, & rerum juxta, vitaeque magiſtri;

Primaque deſcriptis quae legibus uſa feratur:
Quaeque potens opibus, felicis & ubere glebae,
Laetaque, tam pura caeli miraque fruatur
Temperie, ut nulla externi contagia morbi
Senſerit, aut pecudum, aut hominum unquam peſtilitatem:
Haud ulla re alia mage ſe effert, luminibuſque
Cujuſque ipſa ſibi populi obſtruxiſſe videtur,
Quam quod te genuit, Virgo. hinc, hinc illa ſuperbit
Verius, intonſo viridis quam Nyſa Lyaeo,
Quam Jove Creta ſuo, quam candida Apolline Delos.
An vero noſtris abs tete gloria rebus
Parva venit, quae agitante Deo, primaque juventa
Praeclarum aggreſſa es facinus, nullique priorum
Ante, nec auditum unquam poſt venientibus annis;
Quum primum excedens patriis e finibus, urbes,
Itala quot tellus, quot Trinacris inſula alebat,
Graeciaque inſignes, illo tunc tempore adiſti?
Quum magno in populi conventu, animoſa virago,
Unumque, Trinumque Deum, aeternique tonabas
Ore Patris Gnatum unigenam, qui labe parentis
A prima infectos, proprio nos ſanguine lavit,
Obſtructaſque fores cunctis patefecit Olympi?
Quaeque ſitim, triſtemque famem, quae vincula, & ignes
Non dubitas perferre, & triſte ſubire tyranni
Immanis ferrum, fortique occumbere morti?
Sed praeſtat rerum cauſas evolvere primum,
Ac memorare tui quibus acti, o Virgo, parentes
Auſpiciis, Locros unam, praeque omnibus unam
Optarint ſedem, memorique haec tradere chartae,
Plurima quae fuerant caeca jam nocte ſepulta.

Tu modo, Diva, fave, atque orſus ne deſpice noſtros.
Principio, ut perhibent, Agatho, pulcherrimus unus
Qui fuit Inſubrum juvenis, gentiſque togatae,
Hippolyteque, Padi inter formoſiſſima nymphas
Quae fuit una, genus decores, & ſanguine clari
Romulidum: virtute pares, Chriſtique initiati
Ambo ſacris, firmo & conjuncti foedere amoris,
Moerentes multum, quod adhuc haud ulla daretur
Conjugio in ſterili proles, quae nomen avorum,
Fortunaſque domus poſſet inventa tueri;
Ire parant peregre magnas inviſere ad urbes
Italiae, valeant aliqua ſi avertere curam,
Vincere ſupplicibus vel divum numina votis.
Ergo iter ingreſſi, quamvis contendere mens ſit
Ad ſeptemgeminae quamprimum moenia Romae,
Non adeo properant tamen, ut novitatis amore
Multa prius nolint circum oppida perluſtrare,
Et loca, quae veteri ſint fama, aut clara recenti.
Plurima perque viam paſſim virtutis ubique
Dant exempla bonis dictis, factiſque benignis,
Aeternam donec veniunt Mavortis ad urbem.
Hic vero veſtrum, defunctaque corpora vita
Cura fuit primum venerari, buſtaque largo
Spargere flore, Petre, & Paule, o clariſſima terrae
Lumina, & o iidem clariſſima lumina caeli.
Sed neque veſtra, boni, hic complentur vota: ſat urbi
Eſt decoris rerum dominae, fideique cathedrae.
Ex vobis, ſobole & veſtra decus omne futurum
Vult noſtrum Pater omnipotens, Locriſque reſervat.
Ergo poſt aliquot converſis orbibus annos,

Poſtque fatigata incaſſum prece numina divum,
Haud ſpe dejecti excedunt, atque Appia calcant
Strata viae; populoſque juvat, claraſque videre
Urbes, quotquot alit felix Campania, quotque
Praecipuas ſuperum mare continet, infernumque.
Te magnae imprimis Romae, Capua, aemula quondam
Mirantur, tantum nunc ſorte, animiſque minorem:
Calcidicaſque adeunt Cumas: ac, pallida Ditis
Oſtia quae fingunt, graveolentia ſtagna; tepentes
Fontibus & Bajas; magnum & cratera ſepulchro
Clarum Parthenopes: & circum rura beata
Cernunt, bis laeto vernantia flore quotannis.
Hinc excedentes Hirpinus, & Appulus, & mox
Excipiunt Calabri. Gaudent vidiſſe tot urbes,
Et Rhudias Enni cunas; natoque Tarentum
Archita tumidum; Sybarimque, Crotonaque luxu
Ab nimio everſas; & navifragum Scylacaeum.
Atque hinc converſi ad dextram navalia ſpectant,
Quaeque mei aedificant Vibonis tecta Locrenſes.
Jamque procul Lipare Cyclopum exeſa caminis
Vertice ſe attollit candenti, altumque remugit.
Et freta Sicaniae apparent, & ſaxa Pelori,
Aetnaque terrificas volvens ſuper aſtra favillas,
Scyllaeo, & longe reſonantia ſaxa latratu:
Feliceſque agros, & moenia Rheginorum
Tranſgreſſi, tandem ſcandunt juga montis, ad auſtros
Qui ſpectans, longe pelagus procurrit in altum.
Et jam ſumma tenent; ſpecies pulcherrima rerum
Quum ſubito eſt oblata oculis, ut corda tuendo
Expleri nequeant. Inhibent curſum ergo, reſiſtuntque,

Aequora profpiciunt dum puri ingentia ponti,
Aequora & ingentis curvato litore campi,
Atque rates, claffem, prope fub portufque jacentes.
Sed nihil eft, vifo illorum mage quo capiantur
Lumina, quam tumulo adfurgens urbs magna virenti
Adfcenfu facili, hinc quae cingitur Apennino,
Et maris hinc propius fubjectis clauditur undis.
Talia perftabant fervantes: grandis & ecce
Advorfum nova forma viri properare. Senecta
Ille gravi incurvus, propexam & pectore barbam
Canamque effufus, macie confecta faligno
Suftentat baculo membra, & veftigia firmat.
Qui prope ut acceffit, totam intuitufque cohortem eft,
Admirans, ambas fuftollit ad aethera palmas,
Ac ea voce refert: Nempe haec, Pater optime divum,
Haec erat illa dies, quam me fperare jubebas.
Agnofco ora virum, cultufque, habitufque, viai
Et comites, quae jam, te monftrante, omnia noram.
Nam quid ego dubitem ex hac nunc concedere vita,
Quum video extorris patria, longeque remotus,
Tempore poft tanto, tam dulcia pignora, Chrifto
Quae peperi? quid enim vivens hic amplius optem?
Haec ille: aft primos Agatho Hippolyteque loquentis
Vix aure accipiunt fonitus, quum protinus horrent,
Perculfi fubita novitatis imagine mentem:
Attonitique fenem fublimi a vertice ad imos
Nunc luftrare pedes oculis, & membra notare
Grandia; converfi fefe nunc faepe tueri;
Nunc illum rurfus; nunc & fe mutua rurfus:
Exfiliunt tandem, lacrymifque ita fantur obortis:

Ve-

Verane tu facies? falſa an nos ludis imago
Flore pater? vivifne? ecquis ſuperare pericla
Tot valuiſſe putet, tantum te degere & aevi?
Hic Florus: vivo certe, mihi credite: namque
Diluvio ex illo ut fugio, dirique Neronis
E manibus, ſaltuſque peto, latebraſque ferarum;
E monte in montem, quartam poſt denique meſſem
Huc venio; ſiſtoque gradum, quod nulla daretur
Ultra tendere iter, pelago obſiſtente, facultas.
Verum jucunde tamen hic mea vita fluebat,
Quod late circum populi plerique fideles
Inventi, ſociique boni: nec cura coquebat
Me nimium veſtrorum, poſtquam caelituum rex
Per viſum haud ſemel admonuit, quandoque futurum
Ut vos Auſoniae extremo hoc in litore laetus
Laetos adſpicerem, prole & divinitus auctos,
Qua decus illa novum inveniat, quam cernitis urbem,
Inveniantque novos caeleſtia regna triumphos.
Quin nocte hac, fateor, ceſſit quae proxima, viſi
Vos mihi per ſomnum hic loci ibidem occurrere eunti;
Viſus & inſigni juvenis forma, meus eſſet
Qui comes, apprendiſſe manum, taleſque dediſſe
Ore ſonos: Flore, ecce tui Flore o tibi fratris
Filius; ecce ejus ſimul & ſanctiſſima conjux,
Juſtus amor tuus ambo, tua & juſtiſſima cura.
Cum dicto & ſomnus, noctiſque receſſit imago.
Quare agite o alacres, tectis ſuccedite Locrum,
Quandoquidem huc vos fata vocant, & numina ſancta,
Nam vos pone ſequar, capita o dulciſſima, & illic
Erroreſque viae veſtros, caſuſque docebor.

Dixerat, inque pios certatim ſaepe ruentes
Amplexus, miſcent lacrymas, atque oſcula miſcent.
Et jam laetitiae finis ſit nullus, ab altis
Ni moneant longe fugientes montibus umbrae.
Ergo diſcedunt. Soliti vicina tugurj
Tecta petit Florus, primo excurſurus ad urbem
Mane die: cui longa nimis nox illa futura.
Rurſus equos alii inſcendunt, ſtimuliſque fatigant,
Donec conficiunt iter, & data moenia, divis
Auſpicibus, ſubeunt, requiem, finemque laborum.

Quis non officio credat tunc mutua noſtros
Certaſſe, hoſpitibus poſſent quo talibus eſſe
Seſe homines lautos, comes, facileſque probare?
Quin adeo & cuncti illos admirantur, amantque,
Hoc vulgo obſcurum quod haberent carmen in ore:
Vate ſed incertum quo, mortaline, Deone:
Galla genus partu Locros aequabit Olympo.
Quamvis multo erat Hippolyte provectior annis
Jam tandem, quam dulce viro ut patris addere nomen,
Et ſibi jucundum ſperaret matris apiſci.
Naturae at leges frangit, quas ipſe tuliſſet
Saepe Deus, ſua vult quoties noteſcere facta.
Quod modo fit: ſenior ſubito nam denique turget
Hippolyte; inque dies mage jam geſtare videtur
Ipſa ſibi, & pondus ſentit, ſentitque moveri.

Et vaga jam decies Phoebe repararat eundo
Cornua: vitales editque in luminis oras
Perpulchram facili partu miroque puellam,
Rura etenim, memorant, (quod ruri nata puella eſt)
Diſcluſiſſe ſinu paſſim, calthaſque, roſaſque,

Lilia, & omne genus flores: lateque repente
Dulciſonis circum completos cantibus agros.
Quam ſacris poſtquam lymphis de more ſacerdos
Conceptis lavit verbis, venere frequentes
Matres, atque patres, pueri, innuptaeque puellae
Viſere, & acceptam prolem genitoribus ipſis
Gratari. Et jam Florus adeſt laetiſſimus unus,
Atque Paraſceven, Graeci quam nomine dicunt,
At vero Auſonii Venerem, & Veneram, & Venerandam,
Suſtollit manibus, ſtringitque ad pectora raptim.
Adflatuſque adeo caeleſti eſt numine quando,
Fortia facta canit, magnoſque ex hoſte triumphos.
Non haec aut lanae digitos, telaeve, canebat,
Non picturatis aſſueſcet veſtibus auro;
Et non compta comas, ac multo languida cultu
Connubia optabit fortis mortalia Virgo.
Quos haec non populos, quas non peragraverit urbes
Virtute, eloquioque potens, & fortibus auſis,
Plena Deo? quanta & victrix non damna Cocyto
Intulerit? quos non exhauſerit una labores,
Uſque ſuo decoret noſtros dum funere Gallós?

Queis mage laetati dictis Agatho, Hippolyteque
Tot promiſſa ſuo divos uti numine firment,
Orant, & grati cumulant altaria donis.
Nec minus interea genitorum abſumitur omnis
In tete cura, o Virgo; neque corporis illi
Tam ſpectant bona: uti ſis ſcilicet ipſa ſuperſtes:
Quam quae ſunt animi; nempe ut ſis relligioſa,
Atque pia in primis, recte de numine ſancto
Quo ſentire Dei valeas, caſtumque adhibere

Caelitibus cultum, quae homini ſapientia prima eſt.
Tum vero, ut potuit primum apparere per annos
Ingenium ſublime tuum, tuaque ignea virtus,
Naturam & tibi natus amor cognoſcere rerum,
Doctrinaſque arteſque bonas tum velle doceri;
Doctorum extemplo tibi facta eſt copia, noſtra
Quae facilis fuerat res urbe altrice ſophorum.
Hortos ergo brevi Sophiae ſpatiata repoſtos,
Diſcis uti prognata Chao antiquiſſima rerum
Materies, pulchri ſpeciem quum vidit, amarit;
Cui conjuncta thoro diſcordia miſerit alvo
Corpora prima: immenſum queis per inane volutis
Exſtiterit tellus, & pontus, & ignis, & aer,
Qui loca captarint propria, & mage commoda cuique.
Hinc, aether quotquot lucentia ſidera paſcit,
Eſſe: hinc humanum genus: hinc genus eſſe ferarum,
Aera quot, terraſque colunt, pelaguſque profundum:
Hinc arbuſta, hinc & ſegetes, & paſcua laeta.
Diſcis & unde ſalis verrentes aequora venti;
Unde ſit & tonitru, & nubes, & fulgura, & imbres,
Terraique tremor, fontes, atque omnia demum,
Quae fieri caeca ratione videmus in Omni,
Auctoremque Deum, qui tot molitus amore,
Tantaque noſtrorum eſt, ac illa tuetur, adoras:
Et numeros tentas, menſuraſque: addis & artem,
Apte qua valeas, ac dicere Virgo diſerte:
Volvere & omne juvat ſcripti genus: omnia & hauris,
Quae bona, quae vero ſint convenientia. Sacros
Atque adeo libros rapis. His nocteſque dieſque
Advigilas, mira pectus dulcedine tacta.

His etenim manifesto se Deus ipse revelat,
Naturamque aperit rerum, quae nocte sepulta
Perpetua fuerat, nosque his nos novimus ipsi,
Et quae, morte obita, nobis sunt regna parata;
Regna Patris summi, aeterna queis pace fruamur.
Hinc celebris circum Grajas it fama per urbes,
Unam te esse Locris, cujus sapientia tanta
Sit, quantam prior ulla aetas non viderit unquam,
Non videat praesens. Unam te praedicat esse,
Cui gravitas, cui relligio, pietasque, tenaxque
Integritatis amor, cui excellens forma, puellam
Haud ullam sinat esse parem, sinat esse priorem.
Quot juvenes ergo, claro qui sanguine creti
Essent, te thalami sociam optavisse putarim?
Quot foribus suspensa tuis & florea serta?
Quot tua flebilibus per multam limina noctem
Insonuisse elegis? matres & denique honestas
Te quaesisse nurum? Nihilum tamen ipsa moveris
Vel prece, vel fletu; castum stat corpore florem
Caelesti sponso, ac mentem servare pudicam,
Aeterno captam qui te sibi jungit amore;
Cui aeternum primis sacras te parvula ab annis,
Cuique placere studens uni, mortalia temnis
Omnia prorsus: consilio & persistis in illo;
Quum primum terrae mandaveris ossa parentum
Officio defuncta pio, non amplius aevum
In patria terere incassum: sed longius ire
Semotas terras, ac barbara regna petitum,
Dummodo per sponsum liceat, praeceptaque vitae
Latius, atque Crucis vexillum ferre per orbem.

Haud

Haud tamen interea magno ſine foenore ſoles
Virgo tibi pereunt. Veri nunc tramite certo
Monſtras nempe viam, omnigenae & praecepta frequenti
Turbae auditorum doctrinae tradis: honeſti
Nunc ſpeciem ſic fingis, uti capiantur amore
Ejus & haud peccent quidquam in divoſque hominesque:
Nunc vatum ſacra dicta, arcanaque ſenſa recludis:
Antiquaſque doces in Chriſto rege figuras
Impletas omnes, partam cunctiſque ſalutem:
Nunc ſi quid dictum aſperius, factumve proterve
Fortaſſis cives inter, turbaeque coortae
Sint, iraeque; aut cui faciat fortuna maligne;
Siquid amor cedat fratrum, & ſibi conſulat uni;
Sanctaque quis violet communis foedera vitae;
Denique relligio ſiquid, pietaſque laborent;
Tempore ades cunctis, quibus eſt uſus mage, rebus:
Nullaque difficilis res eſt adeo, inque pedita,
Quin cito conficias; tanta eſt prudentia rerum,
Tantaque vis linguae, & gravitas, probitaſque, fideſque.
Una ſed inſignis curas ſupereminet omnes
Illa puellaris, fundaras quod modo Virgo,
Cura ſodalitii: & Chriſto quas rite jugaras
Vittatas caſto ſponſas cum flore juventae,
Has tu multa doces; quae ſint veniente canenda,
Quaeque canenda die ſint decedente per umbras
Carmina ſacra Deo; quid ſit prece numen & ipſum
Orandum, quibus atque modis: commiſſa piandum
Quanam ſit ratione: ac multa vetaſque jubeſque:
Juraque deſcribis, legeſque volentibus aequas,
Queis ſtet pacta fides, ſociae queis foedera vitae

Firmentur: difcant, faciant fua munera & omnes.
Et quoniam nihil eft prorfus rectique bonique,
Quod non unanimis ftudiis ardentibus ultro
Lecta cohors faciat, gaudes tu; durus ut olim
Gaudet, apes aeftate cavo qui cortice claudit
Agricola, & parvis figit nova tecta colonis,
Cernit ubi jam fervere opus, pendere tenaces
Jam ceras, fluere & dulci jam nectare cellas.
Et jam terdenos aetatis conficis annos,
Quum longa feffi mater, genitorque fenecta
Decedunt, vitamque tua inter brachia ponunt,
Hippolyte prior, & parvo pater intervallo
Poft lunarum Agatho, Chrifti par nobile amantum.
Queis tu non lacrymis, non femineis lamentis,
Sed votis operata piis, juftifque folutis,
Poft longa exilia, aeternum grataris adepta
Aurea templa deum, menfafque epulafque beatas.
Quid facias, modo quae tanta fis libera cura,
Atque animo fixum illud fit, per tela, per ignes,
Per caedefque novos populos, nova fubdere regi
Sponfo regna, tuum teftari & fanguine amorem?
Scilicet hoc unum flagranti pectore verfas
Noctes, atque dies; unum hoc noctefque diefque
Oras ftrata folo ante aras, fimulacraque divum.
Sed nec differri tuus amplius irrita ventis
Paffus amor tua vota; vigil dum multa precaris
Per noctem, ecce tibi manifeftus lumine claro
Sefe offert; legio auratis infignis in armis
Quem ftipant circum juvenes, fine corpore vitae;
Ipfe autem picta in trabea, quinifque decorus,

Quos

Quos ſpargunt radiis clavorum, & ſigna veruti
Quina, crucem fulvo ex auro, viridique ſmaragdo
Arboream ingentem laeva ſuſtentat, amicis
Teque his ſolatur dictis, atque occupat aegram:
Ne tete, mea tu, neu nos, jam deſine tandem,
Exerce orando dedimus quod ſcilicet ultro;
Verum diſtulimus, tua dum foret auctior aetas,
Atque ea par noſtris ceptis: nunc ire, ſubactos
Et populos firmare animis, noſtriſque ſolutos
Legibus imperio tibi fas adjungere noſtro.
Tecum adero: & potui tantum qui in plebe meorum
Biſſena, videat, faxo, quid femina in una
Nunc poſſim gens magna hominum; tuque ipſa videbis
Vix haec, atque novum ori, oculiſque afflavit honorem:
Et ſimul obducta actutum ſe nube recepit.
Quo attonita affatu, praeſenti & numine ſponſi,
Colligis ut mentem primum, tenebriſque fugatis,
Rebus reſtitui cernis cum luce colores,
Exſurgens delubra petis, divoſque ſalutas,
Multa orans, donis onerans altaria multis.
Tum res conſtituis: tuaque omnia dividere ipſis
Virginibuſque tuis, turbis & pauperiorum
Incipis, ut nequid poſſit tibi, virgo, perire.
Quod ſigni quoniam poterat ſatis omnibus eſſe
Quid ſtrueres, ſubito concuſſi pectora cives
Se miseroſque vocant, deſolatoſque per urbem;
Haud aliter trepidi, quam ſi vis ingruat hoſtium
Improviſa, ipſas quatiat jamque arjete portas.
Ergo tuas raptim concurrunt undique ad aedes
Cives, prima virum, matronarumque, tenere

Si te qua valeant; iſtoque avertere mentem
Conſilio. Sed ubi primum datur ora tueri,
Inſolitaque vident tua ſcintillantia luce
Lumina; ſupra hominemque oris decus; atque decentem
Mirantur faciem, majeſtatemque verendam,
Nilque tuas adeo voces mortale ſonantes;
Quae tibi jamdudum addiderat tuus omnia ſponſus;
Nolunt quippe Deo, placitaeque obſiſtere cauſſae:
Sed tua coepta ferunt ad caelum laudibus omnes,
Actam quandoquidem caeleſti numine cernunt,
Teque Deo, quaecunque moves, auctore movere.
Quin ſuper haec aliquem cunctis pro civibus unum
Ore ſonos videor tales audire cientem:
I decus, i noſtrum, quo te tua vivida virtus;
Quo te regis honos; quo te pietaſque, fideſque,
Relligioque vocat. Te noverit ultima Thule,
Te Tanais, Phaſiſque, & te Nilotica regna,
Tethios, & quantum terrarum clauditur undis,
Locrorumque tuis factis fer ad aethera famam.
Quos omnes vultu acceptos laetoque, ſerenoque
Abſolvis paucis, abitu defixa propinquo.
Jamque dies, alterque dies proceſſerat, aſt quum
Proxima praecipites urget nox aetheris ignes
Pervigil Euphemen conclamas, quae tua nutrix
Jam fuerat. Haec prae cunctis magis una fidelis,
Haec ſtudioque pio, haec longo & magis una probata
Uſu: cui ſenior licet aetas aſperet ora,
Procero tamen integrae ſunt corpore vires,
Viribus atque ipſis animi praeſentia major.
Delecta haec igitur, tibi quae comitetur eunti,

Ser

Servitio ex omni ut coram aſtitit: Eja age mater
Quid ceſſamus, ais? duplicato & poplite terram
Cum dicto petis ante tui parvam crucifixi
Effigiem ſponſi, quae dextra a parte grabati
Pendebat lino: tundens & pectora palmis
Illum de caelo comitemque, ducemque viai,
Praeſidiumque vocas tibi rebus in omnibus aequum.
Mox & conſurgens, ſanctum de parjete ſignum
Accipis, admotumque ori, ſuſpendit eburno
E collo, inſertans protento guttura filo:
Collectoque ſinu, laevae veteriſque, novique
Sacra inſtrumenti ſupponis biblia: dextramque
Armas enodi baculo, taciteque per umbras
Aedibus e patriis, patriaque excedis ab urbe.
Tempus erat, ſparſis rident quum floribus herbae:
Idque horae, primum parvas quum ſedula cantu
Excitat, exercetque ſuas, nova pignora, natas
Daulias: inque vicem arguto illae gutture matri
Cuncta iterant dociles, concentuque arva reſultant.
Sed Venus his mentem rebus non tangitur hilum;
Nam novus ad bellum veluti quum mittitur, acri
Cui thyrſo laudis percuſſit corda cupido,
Induperator; iter dum corripit ad legiones,
Omnia, quae fieri poſſunt, praeſentia fingit,
Praeſenſque exſequitur: cenſet, ſuppletque catervas
Ipſe ſuas: nunc caſtra movet, nunc admovet hoſti,
Poſt longum & tandem certamen, re bene geſta,
Excipitur magno Capitolia ad alta triumpho:
Haud aliter Venerae ratio eſt, quae bella tyranno
Tanta movet ſtygio: verae & virtutis amore

Exar-

Exardens; adſtare ſibi nunc ipſa videtur,
Et facere in populi ſat ſpiſſa verba corona:
Nunc ad matronas adit, innuptaſque puellas,
Atque hic multa docet; hic multa docetque, refellitque
Inter nunc doctos homines, turbamque ſophorum;
Multa inter mundi proceres, regeſque ſuperbos:
Judicis injuſti hic ſolio modo ſiſtitur: ardet
Ille oculis, additque minas, ac territat armis.
Pugnarumque genus nullum dirumque, novumque eſt,
Quod ſpe non avide praeſumat: fortiter offert
Denique lictori jugulum, palmamque potita,
Caeleſtum coetu, caeleſtes inter ovantes
Accipitur victrix regnis fruitura beatis.
Haec, hujuſque modi ingrediens dum multa revolvit,
Laetatur, fallitque viae faſtidia longae.
Fama ſed interea longinqua vel oppida complet,
„Ignotam peregre a patria te, Virgo, profectam
Eſſe pio fratrum ſtudio, ac caeleſtis honore
Excitam regis; nec longius abfore, quin ſit
Jam cunctis data viſendi, affandique poteſtas:
Tanta Paraſceves, Agathonis denique fama eſt.
Sed tu nota petis quae proxima litora, dextram
Carpere certa viam, & Siculas tranſmittere ad oras,
Agnoſci minus a multis ubi rere: legiſque
Propterea propius quantum potes aequoris undas,
Si quis abire modus praeſens ſit: donec Halecem
Tranſis, agris olim noſtris qui terminus amnis;
Leucopetramque venis, dum carbaſa forte ſecundis
Trajecturus aquas expandit navita ventis.
Excipit ille autem, cum ſole & prorſus eodem

Cur-

Curvato bimaris sistit te litore Tapsi:
Felicem nimium Tapsum, felicia & urbis
Ampla Syracusiae quae proxima moenia surgunt,
Magnanimam quibus est primis vidisse puellam,
Atque audisse datum, magno simul ore tonantem!
Quantae hic divitiae, pleno quas pectore fundit,
Collectae? quanta hic oculis excussa repente
Caligo? quanta & vestrae lux addita menti?
Nam nunc multa docet vulgo: nunc & sapientum
Disputat in coetu, atque scholas evertit avitas
Grajorum: tantis assurgit viribus ipsa:
Nunc aeterna piis sperandum gaudia vincit,
Aeternasque malis poenas in morte timendum:
Nunc surdis aures, nunc reddit lumina caecis,
Nunc prope confectos morbo jubet esse valentes:
Et nunc pulsa loco, varios referentia vultus,
Mille minutatim frangit simulacra deorum.
Atque ubi visa sibi, hic curarum quod satis esset
Expendisse, agros reliquos, felicia & illa
Tarsensis magni agricolae sata semina in omnes
Oras certa sequi, propiusque juvare colendo,
Hinc abit: ingrediensque viam, quae ducit ad austros,
Oppida quot crassus, populosque, & rura Pachynus,
Et Lilybes claudunt vada caeca, & saxa Pelori,
Pleraque convisit Venus omnia virgo. Sed unam
Haud Acym certe potuit convisere. Nulla
Scilicet Acys erat tunc: nulla prioribus annis
Usquam Acys fuerat: nongentas nullaque prorsus
Visa per aestates fuit Acys tempore ab illo.
Haud Venere ergo mea jactet sese Acys alumna,

Civibus aut ullis, ullo quos nomine claros
Scriptores ulli memorent: ſeque efferat ipſa
Rebus, habet ſiquas, propriis; nihil amplius optet.
Jamque triennali fuerat ſatis ille labore
Per te cultus ager: ſegetemque haud amplius illam
Lappaeque, tribulique necant: non horridus alte
Carduus aſſurgens urit: nec dira venenat
Vis lolii, aut alia, eſt frugum quae plurima peſtis;
Quum, lembo inſcenſo, Rheginam tranſis ad urbem:
Poſtque peragratas omnes circum undique terras,
Quotquot utrumque ſupra pelagus includit, & infra,
Brunduſio ſolvis, dexter dum ſpirat Hyapix:
Unoque attingis Phaeacum litora curſu.
Atque hinc Leucadiae portus, hinc & Cephalenis,
Teque Ithacae excipiunt ſcopuli, & nemora alta Zacynthi:
Tranſque fretum Pylii, populique fere Elidis omnes.
Nec te non veteres viderunt Arcades, unde
Paſtorum genus eſt noſtrum: Meſſenia & arva,
Unde tuus vates cognomina ducit Abedon:
Nec qui Taygeti paſcunt juga, quique Erymanthi,
Et qui fatidicum potant torrentibus undis
Cephyſum, baccatumque Eurotam undique ripis,
Argique, Spartaeque, Agamemnoniaeque Mycenae,
Ruderibuſque ſuis haud dudum effoſsa Corinthus.
Nam quos, Virgo, tuos animos ſenſuſque fuiſſe
Crediderim, magno dum nomine conſpicis urbes
Tot magnorum hominum matres, rerumque potentes
Quae fuerint, pene everſas, peneque ſepultas,
Vix uti nunc valeas ipſas cognoſcere in ipſis?
Qui pote non tantae nimis indoluiſſe ruinae,

Et male non illi genti dixiſſe, adeo quos
Diſcordes animis tranſverſos egit inanis
Ambitio, ſtulta & levitas, & caeca libido,
Culmine uti e tanto tantas ſtulti ruerent res?
Priſci autem ſi quid decoris manet, artibus unis
Palladis id ſervant, unaeque tuentur Athenae.
Cui tu poſt Megaras ſuccedens protinus urbi,
Impigra opus coeptum urges, ac mortalia paſſim
Pectora abundanti perfundis flumine linguae:
Suſtollenſque alte jam pactae inſigne ſalutis,
Foedera conclamas Chriſti percuſſa cruore.
Cives hic autem ſtudio novitatis adeſſe
Omnes, atque tuo pendere loquentis ab ore,
Tanta admirantes verborum pondera, tamque
Eximium formae decus, & tua dicta probare.
Nec mora, nec requies, alias excurris ad oras,
Omnia colluſtrans late loca, quae mare circum,
Aemoniuſque Oetas claudit, Pinduſque nivalis.
Nulluſque eſt adeo populus, quin juſſa faceſſat,
Legeſque accipiat ſanctas: ſic mollia fando
Fingis corda premens; ſic ſponſus & adjuvat ipſe.
Hactenus ex animo procedunt omnia: quamvis
Non ſatis ex animo vitas, quae plurima paſſi
Heroes illi magni, per tela per hoſtes
Qui crucis intulerunt primi victricia ſigna
In partes terrarum omnes, & ſanguine fuſo
Projecere animas: quorum ſtat facta imitari.
Namque animos aequos facile, mentemque benignam
In te, nempe ſuam, vaniſſima Grajugenarum
Gens ſubito accepit, ſummae dans id ſibi laudi,

Vel tales gignat ſi Graecia docta puellas.
Res alia at vero, varios ſi moribus uſquam
Mortales attentes, barbariemque laceſſas.
Ergo ubi Chaonios ſaltus, & litora tandem
Pervadis, rate conſcenſa, pelagoque remenſo,
Italiam repetis, Romam impietatis ad ipſam
Accelerans arcem, quam demum ingreſſa, frequentem
Saepe doces populum vitae praecepta beatae:
Incuſauſque hominum ſceleroſa atque impia facta,
Veridicis purgas mortalia pectora dictis.
Et jam ſponſus adeſt, vireſque, animoſque miniſtrat:
Verbaque dat, verbiſque fidem; datque omnia, quae vis,
Te poſſe efficere, humanos ſuperantia ſenſus.
Jamque facis paſſim innumeralia lucra animarum;
Lucra tamen, quae pene tuo tibi funere conſtent,
Ni tu lucra putes, caris pro fratribus omne
Supplicium, & quamvis letum crudele ſubire.
Sed tu caeca nimis gens perfida Iudaeorum!
Nempe tibi haud magnum ſatis inſaniſſe videris,
Caeleſtem diro mergis dum funere regem,
Illius extinguas niſi nomen, diſcipuloſque
Inſectere odiis. Quin tete reſpicis ipſam,
Quam ſis exul inops, magnum diſperſa per orbem,
Et ſuperis ſimul inviſa, & mortalibus aeque?
Ecce tua modo ſit culpa ſtudioque maligno,
Tam grave uti noſtrae, placido vel tempore, bellum
Inſurgat ſubito Venerae. Sed perdis & omnes
Hic etiam incaſſum vires: quoque acrius urges
Eruere, hoc Chriſti regnum magis una propagas.
Et jam non illam poſſunt aut mollia fatu,

Ullius aut minimum crudelia flectere dicta;
Non carcer, manicaeque movent ; non lamina & ignis;
Lactea facrato non ubera pectore vulfa;
Robora non duplicis ligni, clavique tenaces;
Nec fuper impofita fcopuli pars magna jacentem:
Omnia enim fuperat victrix, & munere fponfi
Sana vices nullas vitat, rerumque pericla:
Quin , ingens veluti fublimi in vertice Tauri
Proceros dura ramos attonfa bipenni
Ilex , majores & opes, virefque animofque,
Per damna, & caedes ferro fibi quaerit ab ipfo.
Fortunata nimis! cupida quod mente petebas,
Tormenti haud ullum defit genus. Undat ahenum,
Exultatque labris fevo, pice, craffo & olivo.
Tuque rofas inter veluti verfere, frequentem
Alloqueris placide turbam, quantumque videntem
Viventemque Deum, lapidefque, & numina ligna
Interfit monftras, quorum nil tale viderent.
Jamque omnes fremere, & jam facra abolenda priorum,
Ceffandum & vanis rerum clamare; fatis jam
Sanguinis innocui fufum; populata fat arva
Agricolis; fat vaftatas & civibus urbes.
Jamque adeo exfiliens medius non Orphitus ipfe
Urbi Praefectus potis eft compefcere plebem
Exfultantem animis, fuftefque & faxa minantem.
Dum tamen ingenti nequicquam voce quiritat,
Nilque admirandi hic omnino praedicat effe,
Monftrive, extinctis fi frigeat ignibus olla;
Ecce oculos fubito ferventi afpergine maffae
Perfufus, dulci privatur lumine Solis:

Tendentem vero duplices ad ſidera palmas,
Et ſua damnantem crudelia & impia facta,
Tranquillo eſſe jubes animo: ſimul omnibus alte
Viſa hominum nullo, mirum! molimine tolli,
Ac terrae ſtatui, haud veſtes, haud laeſa capillum: &
Concinnare lutum ſputo, Chriſti inque vocato
Nomine, ſignare illi oculos, ac reddere lucem.
Fortunata animi! tacitum quae gaudia pectus
Pertentaſſe tuum dicam, quum tanta videres
Tam parvo tibi ſtare lucra? Hic jam millia multa
Sunt hominum quaeſita Deo, quaeſitus & ipſe
Orphitus in primis, claro qui cedit honori,
Omnibus & rebus, caeli correptus amore.
Aſpera nulla tibi tamen hic ſperanda ſuperſunt,
Converſis hominum ſtudiis: aliaeque petendae
Orae. Si quaeras, eſt proxima Thuſcia, fibras
Scrutari ſolers pecudum: eſt antiquus & Umber,
Plurimus errores etiam qui nutrit avitos.
Sunt Ligures: ſunt & Galli, tua buſta, togati:
Totque aliae gentes: ſed te miſeratus ab alto,
Quam tres atque decem legatio longa fatigat
Annos, haud patitur differri praemia, laudi
Quae ſint digna tuae; Mediolanumque dat eſſe
Tantorum requiem Genitor, metamque laborum.
O nimium vero felix Agathonia Virgo!
Quae ſi non patria in Locro, ſaltem urbe parentum
In patria occumbis, collum ſubmiſſa ſecuri:
Ut nec cognatum lacrymae, neque funeris ullus
Deſit honos: multo ante alias felicior autem,
Quae decore aucta novo, quod adhuc tibi contigit uni,

Ingrederis magno inſignis ſuper aſtra triumpho,
Aurata triplici a ſponſo redimita corona.
Salve, diva Venus, virgo o fortiſſima, ſalve.
Haud alia, intacto aetatis quae flore, profuſa
Atque anima, aeterni ſit Regis adepta hymenaeos,
Audeat ire prior, tecum & contendere honore.
Illum incedentem per lilia tu Genitricem
Proxima poſt magnam, claro ſpectabilis auro,
Pictaque in palla ſequeris, ductaſque choreas.
Aſpice nos oro: ac tantas miſerata ruinas
Communis patriae, meliorem, da prece, mentem
Accipiant cives. Vigeat da coetus in aevum
Paſtorum noſter: nihil &, te praeſide, iniqui
Aut ferat, aut faciat: longum & da vivat Abedon;
Quo parere ipſe queat, quae plurima parturit, & te
Saepe alias, aliiſque modis celebrare canendo.

F I N I S.

IN ADVENTU

THERESIAE MARIAE GRIMOALDAE

SUAM AD URBEM LOCROS GRATULATIO.

VEnifti tandem, Ligurina, tuufque Locrenfem
In populum pervicit amor. Nihil Apennini
Ardua, praeruptis nil cautibus, afpraque dumis,
Duraque tanta viae obftiterunt, quin ocyus ires
Hanc noftram, licuit quum primum, invifere ad urbem.
Jamque vides, gaudenfque vides, minitantia caelo
Saxa, aedefque deum fanctas, arcefque Locrorum
Aerias fuper extantes: tanta æquora ponti,
Aequora tanta agri, ad zephyros tendentia & euros,
Oppidaque, & pagos, & circum rura beata:
Quae fane poterat fpecies pulcherrima rerum
Hofpitis una tuos oculofque animofque tenere.
Sed nihil eft horum, vifo quo tangeris aeque,
Atque pio populi ftudio, qui effufus apertis
Haud aliter portis, quam tempeftate coorta
Collectus fubito noftris e montibus imber
Praecipitans, late fitientis aperta Meryci
Arva fternit aquis; venit obvius, agmine inundans
Strata viae denfo, ac dominam, matremque falutat,
Magnanimamque bonamque: ingens ferit aethera clamor.
Aft multo majora tuum mox gaudia pectus
Crediderim tetigiffe tamen, quum moenia noftra
Ingrediens, reliqui fervas omnino fuiffe
Nil factum, ftudia in tete mage clara paterent

No-

Noſtra, tuoque minus quo ſerviretur honori.
Clariſonis late bombis circumtonat aer:
Subtremit & pedibus tellus excuſſa: viaeque,
Queis itur, feſta ſternuntur fronde per urbem.
Geſtit laetitia plebs immemor ante malorum,
Viſendi & ſtudio concurſat: nec ſatis illi eſt
Te vidiſſe ſemel: matres, pueri, atque puellae
Aedibus e ſummis flores, vіrideſque corollas
Floribus intextas ſpargunt; ſimul & bona verba
Multa iterant alii paſſim, & famulantur eunti.
Hactenus haec cives; at ludos mutua noſtros
Edere nunc tempus noſtro de more, breveſque
Suaviter has ceſſantis herae oblectarier horas,
O ſocii: tempus nunc, nunc, agitare choreas,
Et duris terram pedibus diſpellere matrem,
Ac dulces riſus, claroſque excire cachinnos:
Nunc calamos inflare leves; nunc cymbala palmis
Percutere, ac varios numeris nunc ludere verſus.
Eja agite ergo boni, Phoebo devota, novemque,
Docta cohors, muſis; vires promatis oportet
Nunc veſtras omnes, coetum & celebretis ovantes.
Ipſe adero; feſſuſque adeo ſim quamlibet annis,
Cana tamen viridi velatus tempora fronde,
Et reſtim ductans ſaltabo, raucifonaque
Voce canam ut potero. Nemo hic me dixerit ullas
Vitaviſſe vices: nemo accuſarit inertem.
Et jam jamque mihi video vireſque animoſque
Creſcere, & antiquo ſuffundi membra calore;
Quin etiam tenuem ſimul ipſam aſſurgere vocem,
Altas conantem res conſectarier ipſas,

Quae ſunt in manibus, grandeſque accedere ad orſus,
Ruſtica quos nunquam queat ipſa aequare ſuſurro
Fiſtula tam tenui, ſeptem compacta cicutis.
Paſtorum nec enim, molli diſtentus in herba
Fluminis ad ripas, umbraque ſub arboris altae
Hic meditor curas, queis jam ſunt omnia plena:
Sed magnas magno virtutes ore canendum,
Altaque mi ſumpſi matronae principis acta,
Quae prope jam meritis divos accedit ad ipſos.
Quod fauſtum felix fortunatumque ſit ergo,
Expectata diu venit, jam denique tandem
Venit hera. Ergo animis cives, linguiſque favete,
Et ſuper haec alacres alte bona dicite verba.
Dicite io cives, io io vos dicite vates.
Venit noſter amor, ſpes noſtraque, quae potis una
Sit, miſeriſque velit noſtris ſuccurrere rebus.
Venerat atque prius, ſi non rationibus eſſet
Tot tantiſque ſuis graviter ſervire coacta:
Et non dira fames etiam invaſiſſet in oras
Illas occiduas regni; quam pellere peſtem
Cura fuit prior, atque huc poſt ocyus ire.
Serius at multo venit, citiuſque penates
Plus etiam nimio ad patrios reditura. Quid ergo?
Ergo, ajunt, quid moliri, quid diſcere rerum
Noſtrarum poterit tam paucis illa diebus,
Tot turbis, abituque adeo diſtenta propinquo?
Solvite corde metu, aegraſque has ponite curas;
Namque diu eſt, partem magnam quum docta laborum
Et cauſas eſt noſtrorum, mihi credite cives.
Nec fieri pote, (cui celſi regnator olympi

Prin-

Principio dedit eſſe bonae humanaeque benignaeque,
Et cui tanta fides, res tanta, & gratia tanta eſt)
Non illam ſimilemque ſui, auxilioque paratam
Eſſe hominum ſemper, qui ſorte premantur iniqua,
Nos uti nunc premimur, caſus queis ultimus inſtat.
Nam quae fortunae afflueret tot femina princeps
Muneribus, primaque eſſet formoſa juventa,
Delicias cur illa domus, patriaeque perennes,
Regaleſque frui nollet? cur dulcia, natas,
Pignora desereret, tantum & telluris obiret,
Ultima ad Auſoniae dum viſere regna veniret?
Cur facileſque aditus, bipatentia & oſtia velis
Praebet ſuſpenſis, pronaſque dat omnibus aures,
Multa ſuper multis rogitans, reddenſque viciſſim?
Scilicet id ſpectat: mores vult diſcere primum
Quales ſint hominum, & partem quae facta in utramq.
Anne aliqua & ſit, quae miſerorum ſanguine hirudo
Turgeat exhauſto: aut populi quis rector; honore
Fulgeat aut alio quiſquam, ſeſeque ſuperbe,
Injuſteque, avideque gerat: quaeque oppida peſtes
Peſſundent fortaſſe aliae, morbique maligni.
Cuncta ſua memori ſervat quae mente repoſta,
Rerum momenta expectans; ut quamlibet abſens,
Tempore proviſum noſtrae velit eſſe ſaluti.
Nimirum recte ſapiens tu femina haberis;
Quippe nihil temere adgrederis, nil & facis unquam,
Ni lente placideque, &, uti jam ſueta, modeſte;
Tam celer, ac certa eſt tua perſpicientia veri.
Quod dictum ille quidem ſolus mirabitur hoſpes,
Qui grandi ignoret te natam ac principe in urbe,

Et Genuae natam, quae fortia pectora cives
Urbs foecunda animis in cunctas parturit horas;
Quique sua prudens nolit cum mente putare,
Num plerumque alios, quae justi mater & aequi est,
Libera & ipsa sibi imperitat sapientia, (si quae
Est tamen in nostris etiam sapientia terris)
Illa velit coetus hominum celebrare aliorum,
Quam quibus immineat nemo, nempe imperet ullus,
Atque ubi sit legum majestas una verenda.
Quorum ego nunc hominum si fortia dicere facta
Coner, & aeternae jam tradita nomina famae,
Ante diem referet reserato Phoebus Olympo,
Atque diem tenebris obducet mutua Vesper,
Quam capita ipsa queam rerum percurrere summa.
Quin nihil alta modo refert tentare canendo
Tantae urbis laudum pelage, quae nomen & arma
Diffudit victrix, omnes Lybiaeque Asiaeque
Europaeque per oras, quot cano mare fluctu
Alluit interius primis a Gadibus usque
Tarda ad Hyperboreas tolerantes plaustra lacunas.
Quae egregium prorsus quidquam ut ne gesserit unquam:
Et pia Romulei sacrorum regis ad arma
Vel nutu Ligures cessarint ire aliquando;
Quod certe haud factum; & non quo pietasque fidesque
Aut laus, aut justus raperet dolor, iraque justa,
Irruerint alacres: sanctamque Syonis ad urbem,
Perque agros, quos Cidnus aquis secat: Joniosque
Quos despectat Athos, fluctus: superumque per aequor:
Atque ubi Tyrrheno surgunt infamia saxa,
Saxa Patrum sacro, infandum! polluta cruore:

Atque alibi haud magnum geſtum, & mirabile quicquam:
Tantumque id geſtum fuerit quod vidimus omnes
Pene oculis, ingens facinus, quo pulchrius unquam
Nulla dies vidit, fortaſſe & nulla videbit;
Militiae bello indomitae quum denique cives
Defeſſi hoſpitio longoque gravique, repente
Jam reſides licet ipſi pridem, atque arma peroſi,
Excuſſere foras tamen illam, & comminus auſi
Stare diu contra, ac paribus concurrere in armis;
Non facile hinc poſſent omnes ediſcere gentes,
Nil eſſe omnino cauſſae, cur nomina noſtra
Prae ſe tam ſpernant Italum, placeantque ſibi ipſae?

Ergo o tu nimium felix Grimoalda, potentem
Regalemque tuis hanc cui natalibus urbem,
Atque alte a Gothico magnorum ſanguine regum
Nobile tot per avos ductum genus inveniſſe
Sorte datum! qui divitiis opibuſque vigentes,
Fretique ingenio, magnis & honoribus aucti;
Seu tu militiam, creperique opera horrida belli,
Seu placidae ſpectes praedulcia tempora pacis,
Conſilioque, manuque boni, tam naviter omni
Tempore rem geſſere & fortiter, & ſapienter,
Vivat uti illorum per ſaecula fama ſuperſtes.
Vel rebus ſacris qui ſe addixere volentes,
Virtutiſque ergo ſummos ad laudis honores
Mature evecti, ſacri implevere ſenatus
Seu numerum, pileo, ac trabea circumdati & oſtro;
Tempora ſive illi viridi texere galero;
Praepoſitique duces populis, fideique magiſtri;
Quanta & ii gentis decora, aetatiſque fuere

Lu-

Lumina quisque suae, repetitaque nomina fastis,
Gloria & in laetos quanta hinc diffusa nepotes!
Et vero inficias quis eat, natalia in ampla
Sit quicumque domo fortunataque potitus:
Porticibusque idem longis, passimque per aedes
Magnanimùm servet veros referentia avorum
Vultus signa puer, titulosque & nomina discat,
Non illum magno donatum munere divum?
Quum valide hinc stimuli, conanti addantur ad aspram
Sentibus ire viam, ac montem superare beatum?
Quamvis haud ollis opus haec, queis maximus optat
Eximiis uti divum pater, atque hominum rex.
Illos namque solens tali dat mente vigere,
Reginae facile ut rationis, honesta monentis,
Jussa queant, laudemque sequi re semper in omni:
Qualis nostra fuit, mature effusus ab alto
Cui favor accessit tantus, cui & tanta bonorum
Addita sedulitas, doctrinaque fida parentum,
Vertere uti facile, etsi parvula, quiverit ante
Virtutem, accipere & curas, animosque seniles.
Atque o cordatos hominum aetas prima parentes
Doctores nanciscatur, castosque piosque,
Custodesque unos vitae; nec protinus ulli
Dedatur, veluti noxae, famulo, argutove,
Ut fit saepe, magistello; servilia morum
Certe nulla trahat contagia; nullaque discat
Nullo usu, sibi quin fraudi quandoque futura.
At te Socratica genitor cui factus ab arte,
Rerumque experiens, ac servantissimus aequi
Obtigit, & genitrix pietatis plena, animique

Illa

Illa etiam magni lectiſſima femina, qualem
Brignolio fuerat par eſſe e ſanguine cretam,
Qui recte ſaperent, illas doctam voluerunt
Artes praecipue, bene quas calleret uterque,
Ac te diſcere oporteret, quae ſola caducam
Servatura domum fueras, recturaque avito
Jure poplos tantos cari poſt funera patris.
Talibus ergo domi quae ſis doctoribus uſa,
Ac tali facta ingenio, non te otia luxu
Languida, non ullae vitiorum avertere recto
Illecebrae potuere, ſcatet queis plurima primum
Amens tot vanis rerum decepta juventus.
Sed nunc vel patris pendere loquentis ab ore,
Ac verba illius, ſapientia & aurea verba,
Singula colligere, ac animo ſignare repoſta;
Aures vel matri intentas praebere, pudoris
Atque pudicitiae repetenti exempla priorum
Multa, novique aevi: tum denique cuncta docenti,
Quae gnatas, quo tu numeroque locoque, decerent.
Demum pingere acu, aut alias res auribus aptas,
Aut oculis, animi cauſa, uſurpare aliquando;
Queis tamen in rebus mixtum foret utile dulci.
Cum primis pietati autem, cultuque deorum
(Juſtitiae munus quod primum, praecipuumque eſt)
Caſtoque aſſiduoque operam dare: denique nulli
Officio prorſum in divos, hominesſque deeſſe.
Nempe Deo tu cara nimis, Ligurina, tuaque
Carus & ipſe tuus genitor cauſſa: omnia quando,
Maxime uti vellet, cecidiſſe vel ultima vidit.
Vidit enim prolata ſeni ſibi tempora vitae,

Dum tu, ſollicitas quae curas illius omnes
Ad tete traheres, eſſes grandiuſcula facta,
Ac matura viro, primis & nubilis annis;
Poſſet uti pactos dudum celebrare hymenaeos
Sidere cum fauſto tandem, cupidoque volentem
Tradere te juveni; quo non præſtantior alter
Mille procos inter pietate fideque repertus,
Seu facie melior, ſive ore decentiot ullus,
Atque magis cui cor ſaperet, qui ſtrenuus eſſet.
Tradidit; & pulchram primo cum tempore prolem,
Perpulchram ſane prolem, factamque putares
Quam Charitum manibus, demiſſamque aethere ab alto,
Vidit ovans, teque incolumi, quam maxime amabat.
Inde aliam ſexu ſimilem formaque priorem
Vidit, ſeque duas circum jam ludere neptes.
Viderat & ſexus etiam quandoque virilis
Germina multa procul dubio, niſi dura negaſſent
Ipſa tuae valide minitantia fata, juventae,
Quandocumque novum dein alvo onus accepiſſes.
Quod tamen haud potuit ſapienti, omneſque parato
Ad caſus, aegri quicquam apportare; minuſque
Hoc etiam multo, prudens quod nempe videbat,
Praeclaramque domum rurſus, gentiſque vetuſtae
Nomina cognato defendi ſanguine poſſe.
Atque hinc ex illo caſtum ſervare cubile;
Tuque virum, fratris; vir te inſtar habere ſororis;
Praetereaque tamen vobis communia cuncta,
Quippe bonis, vere & vos inter amantibus, eſſe.
Atque tuum hinc etiam magis inclareſcere nomen,
Extollique aſtris animi admirabile robur;

Cui poſtquam tantum inflixit ſors improba vulnus,
Speſque omnino omnis foret abjicienda virilis,
Qua cupide ardebas, ſobolis, nec te ulla manerent
In primo nitidae verſantem flore juventae
Praemia jam poſthac ab foedere certa jugali;
Tu tamen his rebus potuiſti nulla moveri,
Docta fatis ſubitos caſus, qui avertier ullo
Conſilio nequeunt, contemnere fortiter omnes.
Aſt aliunde etiam ingens eſt tibi gloria parta:
Quod veri, rectique tenax: quod relligioſa:
Quod pia: quod faſtu nullo generoſa: quod aures
Remque operamque alacri ſtudio promptoque ſueta
Tradere, qui te cumque rogaret: denique quod nil
Uſquam te melius, nihil & prope ſanctius eſſet.
Atque equidem haud vereor, ne quis mea dicta, ſodales,
Veſtrorum in dubium revocet; qui ſumere & illud
Docti, virtutes omnes ſimul eſſe jugatas,
Communi & quodam copulatas vinculo, ut ulla
Haud ulli deſit virtus, qui poſſidet unam:
Quique etiam mecum tam multa audiſtis, & una
Multa videtis herae praeclaraque honeſtaque facta;
Ut pateat orbem hic illum conſtare beatum.
Praecipue illa autem, juſti quae ſedula cuſtos,
Qua late imperitat, cunctis mortalibus aeque
Jus dictum, tenui juxta, juxtaque potenti
Quum primis curare: illoſque ex omnibus unos
Velle dioecetas, praetores, quaeſtoreſque,
Ambitione procul, quorum teſtatior eſſet
Integritas, rebuſque ipſis exercita virtus.
Nam quid ego memorem quam ſit juſtiſſima & ipſa,

Quam clemens, dictiſque eadem, factiſque benigna,
Quandocumque homines veros ſit nacta proboſque,
Immeritos plerumque ſuum ludumque jocumque
Quos fortuna facit, ſolvendoque haud ſinit eſſe?
His etenim perſaepe ſuo faciliſque alacriſque
Concedit de jure, inductaque nomina clare,
Prolatamque diem jubet eſſe, atque illa minuta.

Nec ſatis haec; de more etiam ſuperaddit eiſdem,
Munera muneribus cumulans, quot novit egenos
Atque humiles magis eſſe, ſuus quod debitor ille
Piſtrini ſenſit non multis ante diebus
Conductor, cujus natam, quae venerat ad ſe
Oratura patri veniam, laxataque vincla,
Intuita ut Princeps eſt, admirataque valde
Eximium formae decus, audivitque jugali
Hactenus haud vinclo necti potuiſſe, quod ulla
Dos eſſet nuſquam infortunataeque inopique;
Magnanimae prior extemplo tunc excita virtus
Exarſit. Miſerans ergo natamque patremque
Hunc miſſum facit, illam autem dote ampliter auget,
Ac juveni nuptam curat duroque bonoque.

Quid genere hoc laudis, quaeſo, praeclarius, ipſi
Gratius atque Deo fieri, humaniſque putandum eſt
Commodius rebus, quam (quod facit una, decori
Cuſtos haec Grimoalda) operam navare, pudoris
Ut ne clauſtra ſemel proculcet, eoque malorum,
Unde pedem referat nunquam, prima irruat aetas?

Nec tamen iſta ſemel, ſemel aut ariſque operiſque
Et divum templis pietate accedit ab hujus
Parvus honor, nitor & parvus: aut munera myſtis

Parvola cinctutis veniunt, famuliſque deorum.
Quanta famem porro hinc pellit, vitamque tuetur
Undique egenorum plebes collecta; diurna
Quae petitura velut de more ſtipendia, poſtes
Sic conſerta obſidit & atria longa palatj!
Quantaque vel taciti hinc etiam munuſcula honeſti,
Quos retinet pudor, ac nulli ſinit eſſe moleſtos,
Saepe homines referunt, aegrae ſolatia vitae!
Invidi ergo tibi, meritoque, urbs inclyta, Terram
Quam patres dixere novam immemorabili ab aevo,
Anno quum primum, veſter novus hoſpes, amice
Lauteque acceptus, potui res diſcere veſtras,
Et ſtudia, & cultus hominum moreſque animoſque,
Ac tua propitiae admirari munera ſortis:
Et colles late exſtantes, valleſque reductas,
Et campos & rura patri dilecta Lyaeo,
Et Cereri frugum dilecta, oleaeque Minervae
Inventrici; hortoſque tuos, felicia & illa
Perpetuo Marnum tua flumine culta rigantem.
At non iſta tibi invidi, quantumlibet alte
Suſpicienda forent (nam praeſtat vera fateri)
Sed dominae hoſpitia, unde auri tam larga videbam
In cives, novus arentes ut ſanguis in artus,
Ire fluenta tuos, alia & bona ferrier inde.
Nec tamen ipſe mea feci, mihi credite, cauſſa,
Sed patriae, cui quiſque ſuae velit eſſe beate.
Sed nolim noſtros aliquis vitaſſe penates
Credat heram, ſedemque alibi poſuiſſe, quod urbem
Sperneret hanc noſtram, magno quae nomine claret,
Quaque eadem magno claret cognomine Princeps.

Scilicet hoc tantum fuit. urbs haec noſtra, quod inter
Auſtroſque, Euroſque ad mare pertinet, aeriiſque
Montibus a tergo quaſi clauditur undique ſepta,
Diviſa ab reliquis ditionibus, occiduum quae
Ad mare pertingunt, viridantis & ora Metauri,
Opportuna minus viſa eſt pro rebus agendis;
Abſtinuitque adeo nobis; nam caetera honeſtos
Quos habeat magis & caros re cernitur ipſa.
Quin eſt hic etiam dominae cur inſuper ipſi
Gratuler ex animo: quod ibi, haud ſine numine divum,
Praetulerit ſediſſe, ubi mentem explere benignam
Mox potuit, ſimul & tantam ſibi quaerere laudem,
Quanta famem fuit illa illis defendere ab oris.
Sidere nam primum ſata laeta afflata maligno,
Ac ſubito caſſas riguiſſe ut vidit ariſtas,
Atque dies pretio cerealia munera in omnes
Augeri magis ac magis; annonaque repente
Deſtitui coeptum, deſolarique macellum,
Fraude mala illorum, quorum terraque marique
Quod venit omne, ſua id merx eſt priva, ut nihil eſſe,
Nil uti poſſit quiſquam, niſi proſtet ab illis;
Continuo tenerae concepta matris in omnes
Cura pervigili, edicit, granaria quotquot
Sint ſua, laxari, quo poſſit quiſquis abuti.
Nec mora: Zanclaeas alios, alioſque Liburnas
Solertes homines, auri argentique talentis
Inſtructos magnis celerans allegat in oras,
Qui frumenta parent, referant atque ocyus ad ſe,
Quo mature anni ſarciri incommoda poſſent.
Nec tamen interea illa quidem ceſſare vel hilum

His coeptis. Liquido nunc, sese authore, jubere
Esse omnes animo; populo & simul aera frequenti,
Inque dies panem dare; nunc mittere in aedes,
Luce palam tenui, noctu melioribus; atque his
Saepe etiam id tritici praebere, quod ipsa propinquam
Crederet in messem domui satis esse tuendae;
Et nunc quos rigido trepidare videret ab algo
Hos operire nova, hos pignore veste reluta.
Credo equidem, nec vana fides: producere vitam
Nec famis imperia ulla pati, mala multa jubentis,
Perpaucos sane potuisse, hac absque fuisset.

Ecquam magnificam nos dicere verius unam
Possumus o socii? Genus huic: huic regia gaza,
Divitiaeque instar regum sunt: huic generique
Divitiisque pares animi: huic ratioque modusque est,
Quidquid agit rerum; quae tot modo pascit egentum
Millia; quae numum modo millia mille Aquilonum
Ac pelagi exponit rabie, Afrorumque rapinis
Praedonum, quaestu nullo; quam denique nulla,
Grandia quantumvis ea sint, dispendia mordent;
Haurit inexhaustis quando de fontibus, ac se
Esse hominem, natamque homini putat, haud sibi soli.

Nam quod saepe alii fastuque opibusque superbi
Sunt etiam proceres, qui falsa ab imagine veri
Decepti, & ludos ipsi, & spectacula stulto
Dant populo, & mimos, & ridicularia multa,
Armatisque pari cultuque statuque maniplis
Stipantur circum, quantumvis nulla timentes;
Hisque, hujusque modi rebus quandoque profusas
Jacturas ultro faciunt, studia ut sibi vulgi

Hoc saltem pretio adjungant, famamque bonorum;
Non ego magnificos illos eapropter habebo.
Nam dare & accipere alternis; ventique moveri
Praecipue caussa; & non ratione modoque
Uti quidquid agas, virtus ea nulla putanda est.
Ut tibi dent Pyliae, Theresia, longa senectae
Tempora dii faciles; numeris quando omnibus imples
Virtutes omnes: simul & mortalibus aegris,
Principibusque viris, vera ab regione viai
Devius incautos quoscumque averterit error,
Dent te velle sequi, his tenebris, nomenque parare
Ipsi etiam sibi praeclarum. Non munere in ullo
Officioque ulli peccent: nil desit & uni,
Quicquid habent, possuntque alii: & non tempora demum
Invideant nostri priscis Saturnia seclis.
Atque utinam tanto haud nobis fortuna negasset
Munere posse frui, nisi paucis inimica diebus.
Sperabamus enim, quam mox fore, te duce, Mater,
Praeque facem tollente, mei ut jam denique cives
Amplius haud vellent communi deesse saluti.
Sed curas tecum, quae nos tam diligis una,
Felicesque omnes vis esse, & maxime honestos,
Partiti, rei praesto essent nostraeque, suaeque:
Atque ita tum reduces ad nos probitasque, fidesque
Et pudor, & pietas, omnisque rediret honestas,
Ac doctae pone Aonides sequerentur ovantes:
Quas omnes nostris e finibus ejecerunt
Dudum praecipites communia tempora; & ipsa
Hospita barbaries, scelere omni incesta nefando.
Sed te natarum revocat pia cura tuarum.

Quan-

Quarum quum referat duplex tibi parvulus orbis
Effigias, ſuetum laevae geſtamen & aurum;
Haud pote non illas tibi ſaepe videre videri
Diſſidia haec miſere flentes tam longa, tuoque
Se penite exſculptas e pectore lamentantes.
Et facis ipſa quidem recte tu denique, ad illas
Quum properas; etenim refert tua, noſtraque adaeque
Maxime, uti tenerae Euphemeque, Marinaque vitae
Non aliunde petant artem, quam matre magiſtra
Abs te, quae magna hac es & admirabilis arte.
Ergo age, teque viae, ne ceſſa, protinus infer,
Aurae dum ſpirant molles, & roſcida vulgo
Pinguntur variis diſtincta coloribus arva,
Aeſtifer ut ne quid laedat te Phoebus euntem,
Quominus incolumis natas ſoſpeſque reviſas.
Vade, vale, noſtrumque memor ſis uſque tuorum.

IN ASSUMPTIONE B. M. V.

CARMEN.

UT te Diva lubens laudo! ut mihi magnus eunti
In laudes, tuaque, alma Parens, praeconia, Phoebus
Dexter adeſt, animoſque & vires ſufficit ultro!
Tu meus unus amor, mea tu ſpes unica, cui me
Aetatemque meam & ſtudia ingeniumque dicavi.
Nam quid ego volui abs te, Mater, conquecupivi
Unquam, quod non ſis mihi largita benigne?
Aut ea parva quidem in meme quae munera confers?
Tu me, tu nigrae revocas a limine mortis
Lethali preſſum morbo: tu mille pericla:
Tu das mille hominum technas vitare malorum:
Tu vires, & opes addis: tu nomen in urbe
Das aliquod, famamque boni, famamque diſerti;
Vel magnam cum ſuſcipio patriaeque, tuamque
In meme cauſam, Patribuſque frequentibus oro.
Conſortes utinam non me tam turpiter illi
Deſererent, contra & ſtarent: non & ſua noſtri
Lenti ſpectarent ingentia vulnera cives.
Ditia jam ſpolia illa manu raptoris avari
Ipſe extorſiſſem: tua non modo templa procellas
Acciperent omnes, pluviaſque, animaſque Aquilonum:
Non facerent, rimoſa adeo & ſuffoſſa, ruinam.

Aſt aliter tamen eſt tibi viſum: ſcilicet altì
Conſcia conſilii, majus tu mente animoque
Verſabas opus, ac nobis, Regina, ſtudebas.
Ergo ubi praedo novos animos capit inde, furitque
Ut liber campis ſonipes admiſſus apertis;
Contemptorque deum miſcet faſque omne nefaſque:
Ac feſſi cives odiis tum denique juſtis
Exardent, rapiuntque in jus, me actore, meoque
Gallo, nequam illum; magni tu Judicis aures
Das nobis pronas, Virgo, mentemque benignam.
Vincimus ergo, tua freti virtute, meoſque
Servitio duro cives abſolvimus omnes.
Hinc ego victor ovans, magno comes additus illi,
Qui bonus afflictis unus ſuccurrere rebus
Inventus, patriam ingredior, caroſque reviſo.
Haec cum accepta tibi referam tot tantaque, Virgo,
Speremque abs te etiam multo majora, profecto
Non mea ſacra unquam deerunt, non munera faxo,
Quae tua cunque dies celebretur feſta quotannis.
Nunc alios quando nequeo tibi ſolvere honores,
Aſcenſumque tuum in caelum de more frequentes,
Laeta cohors, cives recolunt, haud ſegnis & ipſe
Ire tuas adſum in laudes, cantuſque movere.
Aſt humana tamen quaenam ſolertia de te
Praedicet, o Virgo, quod ſit te denique dignum:
Aligeri quando vates, caeleſtis origo,
Vix tentare audent laudum pelage alta tuarum?
Nam quaenam terris unquam ſunt parta, polove
Gaudia, quae certe ſunt ſaepe, & maxima parta,
Quae non parta tua ſint omnia pleraque cauſſa?

Tu rerum dominum, regem divumque hominumque
Aeterno vinctum divini vulnere amoris,
Stelliferique alto deductum culmine caeli
In gremium, formosa, tuum, mortalibus aegris
Concilias; per te genitor quam obstruxerat Adam,
Credulus heu nimium matri, referatur Olympi
Janua: te propter laetantur regna beata
Civibus aucta novis: laetatur libera vinclis
Per te gens hominum, inque epulas admissa deorum.
Sed quid ego his autem longum nunc immoror? anne
Non haec festa dies, quam laeti agitamus, & ipsa
Laetitias proprias, proprios sibi poscit honores?
Et vero poscit, quando ullo haud tempore quidquam
Est superisque datum simile, humanisque videre,
Nec certe dabitur: caeli terraeque marisque
Reginam magno evectam super astra triumpho.
Jamque mihi videor, Virgo, te cernere euntem,
Cernere & aligeros caeli omniparentis alumnos
Laetos te circum volitantes agmine longo
Ire, redire vias. Jam illorum exaudio voces
Clarisonas. Mariam Mariam plagae aetheris omnes
En resonant: Mariam referunt silvaeque profundae,
Atque humiles valles, montes, cava saxa, lacusque.
Palmiferae pastor summo de vertice Idumes,
Et qui rura Tabor pascit, Galilaeiaque arva,
Et quos Jordanis longum disterminat agros,
Exsilit, aeriasque vias ecce ordine longo
Flammarum lucescentes, convexaque caeli
Jam Mariam Mariam resonantia demiratur,
Obtutuque haeret tacitus defixus eodem.

Par-

Parte alia video diſcedere magna Sionis
Moenia caeleſtis: video plateaſque viaſque
Floribus inſtratas variis: paſſimque per urbem
Divorum feſtis velatas frondibus aedes.
Atque acies ecce auratas, civeſque beatos
Moenibus effundi: in primis en aſpice ut ipſa
Sanctorum pia turba Patrum venit obvia curſu,
Grataturque ſuae, & laetans famulatur eunti!
Denique eam Natus, rerum ſator, advenientem
Excipit, & carae protendens brachia Matri,
Optatos petit amplexus: dextraque prehenſam,
AEterno ſiſtit Patri: aeternuſque decorae
Affigit fronti Pater oſculum: & haud mora circum
Imponit ſtellis diadema ardentibus aptum,
Sublimique locat ſolio, cui argentea luna,
Cui ſol auricomus, cui ſidera ſubſternuntur:
Atque Deam caeli, terraeque dat eſſe potentem.
Salve magna parens, Virgo, decus addita divis:
Addita praeſidium humanis, Virgo inclyta, rebus.
Tu face, namque potes, mea ne vota irrita venti
Diſcerpant rapidi. Longum da munere tanto
Poſſe frui, longo quo nos poſt tempore tandem
Donaſti. Sat jampridem impia facta parentum,
Noſtraque nos luimus: finem da, Virgo, laborum
Tantorum. Salvum Locrenſibus incolumemque
Hunc tu, Virgo, virum ſerva: ſpes omnis in illo eſt.
Tum me quaeſo tibi ſemper da poſſe placere
AEternoque tuo gnato: & quae tempora vitae
Omnia direxti mea jam, quicunque laboris,
AEvique eſt noſtri reliquus, tu dirige curſum:

Quo poſſim tandem emerſus tot fluctibus atris
Tangere felicem patriam, & tua regna potiri.

C A R M E N.

Vidi animis juxta meſſorem, ac viribus auctum
Procurva ſegetem in magnam ſe immittere falce
Triticeam: late & jactantem brachia circum
Sole ſub ardenti flaventes ſtringere culmos,
Ac gravibus paſſim ſtupas onerare maniplis.
Pone autem laetas vidi longo ordine nymphas,
Tempora velatas viridanti ex fronde corollis
Et ſpicas legere, inque ſinus inferre caducas,
Undique dulciſono mulcentes aera cantu.
Haud aliter mihi Nicoleos modo viſus inire
Immenſam in ſegetem laudum, pater alme, tuarum:
Nicoleos juris columen, Themidiſque ſacerdos:
Unus qui ingenio & bonus unus flumine linguae
Virtutes tentare tuas, & grandia facta,
Seu juncto canere ipſe velit pede, ſive ſoluto,
Nec numero innumero rerum, nec mole moveri.
Haud aliter laudes modo ſunt decerpere viſi
Ille tuas, ac ille tuas, numeriſque, modiſque
Omnibus ornate noſtri componere vates;
Egregii vates, adeo quos carminis auctor
Phoebus amat, cytharaque ſua dignatur Apollo,
Magnorumque virum magnis virtutibus aequat.

Ergo,

Ergo ſorte tua felix o terque quaterque,
Caeſar, tantorum vatum cui militat ardens
Virtus, paſtorumque manus cui ſerviet ingens,
Latoo gens ſacra deo, Nonacria pubes,
Quae incolere ad noſtros Locrum nunc mittitur agros!
Quos inter parvus feret & ſua munera paſtor
Paſtori magno, & te, te cantabit Abedon.
Cantabit lenem, facilem, in miſeroſque benignum,
Tum vita integrum caſta, juſtumque, piumque;
Aſſiduamque tuam in divos operam canet, atque
Ingenium ſtudiis cultum omnibus, exque politum.
Tu modo reſpectes homines, queis pectus honeſto
Incoctum, & vere queis nemo objecerit ullam
In vita maculam; turpes autem quibus imperat auri
Sacra fames, animi falſos, cervice putare
Obſtipa nolito bonos, augere, fovere:
Illos negligere autem: culpa tu ne aliena
Flagres, qui ipſe vacas propria; cujuſque ſed aequus,
Aequa pro meritis trutina, ſua praemia reddes.
Naviter id perge ergo operam dare, quo magis omnes
Hinc tua pervideas ire in praeconia linguas:
Ac magis ipſe Deo placeas, nobisque, tibique
Semper, laetitia & ſemper tangare recenti.
Namque erit ut reduces videas mox ire ſorores
Aonias ad nos: juga tam Parnaſſia montis
His noſtris mutare jugis, mutareque fontem
Caſtalium, ingenuo manat quo Francica fonte;
Hic agitare choros, certaſque hic figere ſedes.
Quas inter medius tu noſter, Apollinis inſtar,
Cæſar eris, dabis & præſens in carmina vires.

Car-

Carmina noſtra, tuum tollentia ad aethera nomen:
Carmina, quae poſſit nulla unquam abolere vetuſtas.

IN NATIVITATE DOMINI

CARMEN.

SCilicet huc bonitas tua te, rex magne deorum,
Impulit, unigenam caelo demittere ab alto
Ut velles gnatum, mortali in veſte ſacerdos
Eſſet qui noſtra, ſimul eſſet & hoſtia, qua nos
Ab ſcelere antiquo, concreta & labe parentum
Ablueret, crucis horrendam facturus ad aram!
Nam, maleſane pater, quae tanta inſania, quaenam
Arboris & vetitae illa fuit tua dira cupido,
Imperium ſummi imbiberes uti temnere regis,
Tantamque induere in fraudem teteque, nepoteſque,
Ac genus omne tuum? Ex illo nam pallida terris
Incubuit mors, ac morborum exercitus omnis:
Vecors ira, metus, & amor ſceleratus habendi,
Ambitioque mala. Et vero nos funditus omnes
Perdideras, morti addictos, ſceleriſque luelae,
Ni cladem tantam miſeratus, ab aethere ſummo
Demum ferret opem divum pater ipſe, hominumque.
Ergo ubi finita adfuerunt jam tempora primum,
Hebdomadeſque actae denae ſunt denique ſeptem,
Ultimaque advenit Cumaei carminis aetas;

Aurea

Aurea tecta poli linquens, ſedeſque beatas,
Nate patris ſummi, ac terram delatus ad imam,
Conderis intactae ſacrata virginis alvo.

Fortunata nimis, virgo, quam magnus Olympi
Rex, dominus rerum, tanto dignatus honore eſt,
AEquaevum ut gnatum, per quem ſunt cuncta creata,
Et maria, & terrae, & caelum, & candentia caeli
Sidera, totque hominum ſecla, & tot ſecla ferarum,
AEternum, immenſum, quem totus non capit orbis,
Geſtares, decimo & pareres poſt denique menſe.
Quis te, quis poſſit partus celebrare verendos,
Diva, tuos, digno quis poſſit tollere cantu?
Non ego, cui gelidus circum praecordia ſanguis,
Cui ſenio vires fractae, ac exilior eſt vox.
Ergo vicem ſocii vos, vos, veſtramque, meamque
Paſtores, decus Arcadiae, cantare periti,
Et quibus integrae juvenili in corpore vires,
Vos celebrate pii matrem, natumque canendo.

Et vero noſtrae quae ſunt communia ſacra
Ac mores gentis, magnum quae ſparſa per orbem,
Servandum nobis: decet atque exempla beatae
Illa ſequi noctis, magni quae conſcia partus,
Tempore poſt tanto demum mortalibus aegris
Attulit optatam lucem, finemque laborum.
Qua nocte excubias agitant dum Bethlema circum
Paſtores, ovibuſque cavent de more per agros,
En tonere, en ſubito compleri lumine caelum,
Aliger & juvenis caelo deſcendere aperto,
Inſignis forma, claraque in luce coruſcus,
Atque illos ſic affari: Timor omnis abeſto,

Paſtores, ſuperis gens acceptiſſima divis:
Ne trepidate, bonus vobis nam nuncius adſum.
Servator veſtri, ac populi nunc denique natus,
Et mundo expectata ſalus nunc denique parta eſt.
Ite agite, & magni cunas inviſite regis:
Cunas, quas durum ſternit praeſepe ſub antro.
Vix ea fatus erat, laetum & paeana per auras
Auditum: viſaeque armiſque auroque decorae
Caeleſtes acies, ac verſicoloribus alis
Exercere choros, ac gaudia ſpargere terris.
Queis acti viſis, faciunt caeleſtia juſſa
Paſtores, antrumque petunt, mora nulla, frequentes:
Et ſua quiſque ferunt, anni pro tempore, proque
Fortunis cujuſque, agreſtia munera laeti.
Hic ſuper impoſitum ſtipulae puerum, inque volutum,
Ut didicere, vident pannis: matremque virumque
Matris: & ingenti mentem dulcedine tacti
Munera dant ſua, quae tulerunt, Regemque ſalutant.
O vos felices, felici tempore nati,
Paſtores, adeo genitor quos aequus amavit
Omnipotens, vobis manifeſta ut luce videndos
Sponte darent ſuperi ſeſe: quin & Deus ipſe,
Magna Patris ſoboles, magnum Patris incrementum,
Vos unos proprii teſtes optaverit ortus.
Nam quae laetitiae vos ſigna dediſſe putarim!
Quos agitaſſe choros, quas & duxiſſe choreas!
Quos lituos inflaſſe leves, & cornua cantu!
Quot cava proceris planxiſſe & tympana palmis!
Quot paſtorali fudiſſe & carmina canna!
Credo equidem, antrum illud felix, ſuper impendentes

Et

Et cautes, & agros, & circum compita, claris
Undique carminibus reſonaſſe, atque undique avenis.
Haec vos facta ſequi decet, haec exempla gregales;
Si vos eſſe pios vultis, voſque eſſe videri
Paſtores, paſtores & vos Arcadas eſſe.

IN PASSIONE DOMINI.

HUmana ante oculos foede cum vita jaceret
In terris, ſcelere primaevi infecta parentis,
Omnibus & miſere devota laboribus eſſet,
Eſſet & aeternum ſtygiis devota tenebris;
Tu noſtras hominum aerumnas miſeratus acerbas
Nate patris ſummi, per quem ſunt cuncta creata,
Et candens aether ſtellis, & lucidus aer,
Et mare piſcoſum, terraeque frugiferentes,
Illius e gremio digreſſus, & aethere ab alto
Haud dedignaris ſervi formam induere aegram,
Quo nos ſervitio, quo nos aegrore levares,
Intactae & ſacra te claudere virginis alvo:
Unde novem poſt exactas ex ordine lunas,
Vix dum vitales ingreſſus luminis auras,
Aras tu proprio conſpergis ſanguine: mox &
Cogeris eductos gladios exire tyranni,
Et Peluſiaci procurrere ad arva Canopi,
Pauperiemque pati duram ſub paupere tecto.
Unde reverſus atrox odium & crudele tuorum

Es ſubito expertus. Non te tua plurima virtus,
Non beneſacta tegunt: aegris quantum pote eorum
Succurre: & captis oculorum lumine claram
Redde diem: ſurdis aures, vitamque ſepultis:
Legibus & populos quantumlibet inſtrue ſanctis:
Nil agis. Immemores illi, caecique furore,
Crudeli unanimes urgent te abſumere letho
Inſontem, atque tuo rabiem exaturare cruore.
Ergo te rapiunt, vexant, & plurima ludunt,
Suffiguntque cruci, ſuffixum & plurima ludunt;
Queis tamen ipſe bonus veniam, pacemque precaris,
Id ſpectans unum, generi ſuccurrere lapſo,
Morte tua, regnis & nos inferre beatis.
Salve Chriſte pater: ſalve rex Chriſte redemtor:
Et nos, & tua dexter adi haec pede ſacra ſecundo

IN PASSIONE DOMINI.

NAm quis aquam capiti mihi det? nam quis lacrymarum
Det fontes oculis? dulci nam tincta lepore
Carmina nil opus hic, nihil hic & grandia verba:
Cunctarum quando rerum, quae juſta potenti
Annua ſunt regi per nos decreta, ſodales,
Primum hodie facturi: regi ſcilicet illi,
Cujus tantus amor noſtrorum, & cura ſalutis,
Aurea uti linquens caeli capitolia, formamque
Humanam indutus, mactatu ſaeva ſuorum

Hoſtia, pro nobis caderet, patrique litaret.
Haud igitur nunc eſt vel Apollinis implorandum,
Aut Aganippidum opem nobis: ploremus oportet,
Noſtraque ferali mutemus ſerta cupreſſu,
Flebilibus circum complentes quaeſtubus auras.

At duros memorare tuos quis, Chriſte, labores,
Quis turpes ignominias, ac omnia poſſit
Tot fera facta hominum, quae tu ſat plurima paſſus?
Ut patris e gremio, caelique e ſede beata,
Qui mare, qui terras, qui caelum numine comples,
Diſcedens, humanam animam, moribundaque membra
Indueris; matriſque decem te ex ordine menſes
Clauſeris intacta ſacratae virginis alvo?
Ut teneros artus rigido percuſſus ab algu
Bethlemia ſub rupe recens egreſſus in auras
Traxeris ad tete, paleis diſtentus acutis?
Aut uti mox, patriis quo legibus obſequerere,
Sanguine ſacratas proprio turpaveris aras?
Vel quum vagina vacuos exire tyranni
Es juſſus gladios, Phariique ad regna Canopi
Ire, redire viam immenſam per inhoſpita teſqua,
Perque nives, perque aſpra gelu juga, & aſpera dumis?
Quae tamen atque alia ut poſſim nunc omnia fando
Demonſtrare, quod haud certe queo, ſic rapit illa
Summa dies infanda meam mentemque animumque;
Ut ſtem, ſive abeam: vigilem, ſeu lumina ſomno
Claudam: quidquid ago: quoquo me verto, ſupremae
Illius ante oculos cladis verſetur imago.

Atque genu en lapſum video ſub nocte ſilenti
Sanguineas ſacro ſpargentem corpore guttas;

Dum tot dura ſuo triſti cum corde volutat,
Vincula, carnifices, plagas, clavoſque, trabeſque:
Quae quoniam perpeſſu homini nimis aſpera viſa,
Contrahiturque animus, genitorem ſic veneratur
Aeternum: Alme pater, caeli cui ſidera parent,
Quin hunc a meme calicem aufers, eripis & me
His, invicte, malis? nihilo magis ille movetur
Attamen atque rigens ſaxum, aut Marpeſia cautes
Fluctibus aequoreis, animoſi aut flatibus Euri.
Haec portanda igitur dat ei mandata per auras:
Certum, ac diſpoſitum eſt, hominum mortalia ſecla
E tenebris tantis demum, tantiſque periclis
Sedibus in patriis, claraque in luce locare.
Ergo nunc animis opus eſt, nunc pectore firmo,
Gnate: tuos nec enim fas tot periiſſe labores.
Hoſtis adeſt: ſurge eja, & contra audentior ito:
Neve malis cedas. Sic patris nuncius ales.
Queis dictis recreati animi formidine ab omni,
Quidquid atrox ardent, dirum, crudele, magiſque
Horrendum, ac letum quamvis informe ſubire.
Quid modo vult autem, quod Oliveti juga circum
Tam ſubito denſis collucent ignibus: & quod
Omnes ſic aditus montis turba obſidet ingens
Stricta parata neci? Quis tantus poſcitur hoſtis
Ad poenam communis, atrox ſeu bellua dente?
Nempe ille appetitur juvenis mitiſſimus unus
Praeſentem qui ferret opem mortalibus aegris.
Heu ſcelus infandum! Abramidaſque eheu dementes!
Ecquiſnam tantos vobis factura dolores
Ulcera tetra, manu medici attrectata, putaret,

Per-

Perdere uti leto medicum imbiberetis acerbo?
Pergite vos modo: nil agitis, niſi clarior extet
Illius ut virtus, rerumque immenſa poteſtas.
Atque ecce ut veſtras metuit nihil ille cohortes
Horrentes gladiis, ac fuſtibus: obvius ultro
Quin offert ſeſe venientibus: ilicet omnes
Uno ſternit humi verbo: quem quaeritis adſum
Jeſus: excuſſam Malchi tum colligit aurem,
Reſtituitque loco facilis: dein talia fatur:
Nam quid opus tanto fuerat molimine, cives,
Ad me prendendum, & ſimul iſtoc noctis opacae?
Anne ea parva fuit jamdudum copia noſtri,
Pene die in templo populum quum quoque docerem?
Sed veſtrorum operum proprium eſt quaeſiſſe tenebras.
Ecce volens nunc dedo manus: mihi nam obſiſtenti
Obvius haud prorſus quiſquam ſe impune tuliſſet.
Oſcula quid memorem hic Judae ſimulata? Quid ipſos
Caros ah nimium comites, res mira, fugaces?
Innocui & pretium quid paucula ſanguinis aera?
Heu dolor! heu lacrymæ! ecce manus poſt terga revinctum
Lymphati raptant, urgent; late & loca circum,
Aeraque horriſonis paſſim clamoribus implent.
Nunc Caiphae ſiſtunt: quanta hic convicia! quanta &
Ludibria! Obductis velatum tempora vittis:
Infractum colaphos: conſputumque ora genaſque
Cernas, & barbam vulſum, crineſque decentes.
Nunc cum ſole novo praetoria ad alta Pilati
Raptatum videas: uſtumque plurima loris:
Ac ſpinis penite compunctum tempora acutis:
Largifluo & ſparſum caeleſtia membra cruore.

Nequicquam: quoniam tot adhuc cruciatibus excors
Haud ſaturata feros animos gens illa, Barabbam
Donari ſibi conclamat, Jeſum crucifigi.
Ah genus indocile, ah gens conſcelerata, leviſque,
Mentis inops, ſemperque odiis adcincta neſandis!
Nam quod ob admiſſum tantum ſic perdere perſtas
Inſontem? nonne ille idem eſt, qui tramite prono
Ad caelum monſtrabat iter? qui tollere ſuetus
Morbos, obſcenamque famem depellere vulgi?
Et ſurdis aures, & lumina reddere coecis?
Et vitam vita functis, adeoque ſepultis?
Nonne idem hic eſt, cui tu paucis ante diebus,
Urbem dum ingreditur coſtis impoſtus aſelli,
Occurris, ramos palmarum, ac pinguis olivae
Circumfuſa manu tendens, pacemque precaris,
Et dominum magno, ac regem clamore ſalutas?
Quin Deus ille, Deus manifeſto eſt numine: quod tu
Jam ſentire diu potuiſti, plumbea ni ſis.
Atque idem Deus ille, tuis qui patribus olim,
Poſtquam ſervitio exemit longoque gravique,
Diviſit medium pelagus, ſiccamque per altum
Ire viam dedit, adverſaque potirier ora:
Securi unde ſui potuere in gurgite vaſto
Niliacos hoſtes, & ſcuta virum, galeaſque,
Et currus, & equos undis alluſa videre;
Quique loco vaſto, ac ſolo verſantibus eſcas
Demiſit caelo aſſiduus denos quater annos.
Tum populos late reges, opibuſque ſuperbos,
Queis neque mos, neque cultus erat, difflavit eorum
Ante ora, ſtipulas violentus difflat ut Eurus,

Promiſſaſque dedit ſedes, praepinguia culta
Amplaque, lacte mero, dulcique fluentia melle.
Pro quibus, atque aliis vos innumeris benefactis
Pulchram vero vicem Iſacidae modo redditis illi.
Eheu quot miſeri dabitis, mora nulla, nefandi,
Qualeſque ſceleris poenas! E ſedibus actos
Antiquis, patria excisa, profugos, palanteſque,
Aeterna exilia, & caſus omnes pati amaros
Vos aget ira Dei: requieſque haud ulla laborum.
Sed nihil eſt: tendunt odiis, caecique furore,
Obdurant hominem crudeli abſumere leto.
Ergo crucem aedificant immani pondere, eamque
Illius imponunt humeris. In ſanguine cerno
Lapſantem proprio; ligni dum robora anhelus
Tanta trahit, gemituſque imo de pectore ducit.
Itur in infamem tumulum, qui proximus urbi,
Mos ubi puniri ſontes capite. Omnia late &
Occupat immenſum vulgus, juveneſque, ſeneſque
Viſendi ſtudio, haud ſecus ac lucuſque, ſegeſque
Fluctuat, incumbunt rapidi quum flamina venti.
Et jam jamque tuba horriſonum mage clara ſonorem
Mittit: jamque ſubit demum miſerabile funus:
E medioque omnes cedunt, ſpatiumque relinquunt.
Atque hic carnifices exertos brachia cerno
Crudeli intentos operi, ſuaque expedientes
Arma horrenda. Solo ponunt feralia ligni
Robora: dejiciunt ſupera Chriſtum: cadit ille
Defectus veluti de monte cadit lapis: ambas
Adripiunt, tenduntque manus hinc inde jacentis
Immanes necis artifices, ſceleriſque miniſtri;

Perque illas clavos (recolens horreſco) trabales,
Perque pedum nervos adigunt, ac mutua tundunt.
Et jam ſuffixere: & jam molimine multo
Tollitur arbor amara ingens, nutatque per auras.
Hic vero horribilis ſubito ferit aethera clamor,
Caeleſtem ut juvenem pendentem ſtipite ab alto,
Largoque aſpiciunt ſpargentem ſanguine terram:
Ac gemitu reſonant, & femineo ululatu
Palmiferi circum colles, & roſcida rura,
Atque imae valles, & camporum aequora late.
Ecquiſnam ſenſus cernenti talia matri?
Conſiliis illa autem jamdudum conſcia magni,
Non lamentari miſere; non vellere crines:
Et non ungue genas foedare, & pectora palmis.
Ut mater dolet ipſa tamen: lacrymiſque modeſte
En ſtans ora rigat: premit alto corde dolorem,
Et ſua ſolatur communi damna ſalute.
Sed me plus nimio ſaevus nunc occupat horror,
Egeliduſque coit circum praecordia ſanguis,
Dum craſſae offundunt ſeſe tenebrae undique tantae,
Ac rebus demit nox intempeſta colorem.
Nam quid id eſt? quid Phoebe nigra ferrugine tingis
Ora, diem & medio ſic deſeris aetheris axe!
An nova nunc agitat convivia dira Thyeſtes,
Et gnati patriis iterum ſunt dentibus eſcae?
An quod homo Deus, auctor rerum, ſic male habet nunc,
Immane ingratorum hominum ſcelus averſaris?
Sic eſt. Illi autem finemve, modumve furori
Haud faciunt ullum. Heu quot miſerum maledictis
Quotque obfirmavere probris heu figere amaris!

Queis tamen ipſe bonus pacem eſt veniamque precatus;
Atque inclinato demum capite expiravit.
Heu dolor! heu lacrymae! heu pietas! ſimul hoc, ſimul ingens
Auditus fragor, & tellus a ſedibus imis
Mota dedit ſonitum magnum: ſciſſum que deorſum
A ſummo velum templi: tum montibus altis
Excuſſa exſiluere ingentia fragmina: apertis
Atque ultro tumulis, vita quae corpora dudum
Defuncta, ire vias paſſim ſunt viſa per omnes.
Queis valide monſtris turbati animi extimuerunt
Ne terra in barathrum pedibus ſubtracta profundum
Sideret, ac mundi fieret confuſa ruina.
Tanti operis fuit, antiquos abrumpere nodos
Servitii, humanumque genus reparare caducum!
Salve Chriſte pater, Patris certiſſima proles
Aeterni, eque Deo Deus, atque ex lumine lumen,
Verus homo, veruſque Deus ſine fine beatus.
Tu Patris invicti robur, tu dextera, per quem
Ipſa parens vires natura accepit, & ortus;
Quo ſine nil fuit, & nihil eſſet, omnia quando
Per te ſunt facta, & per te ſervantur in aevum.
Tu aeratas vellis Cocyti a cardine poſtes,
Proculcaſque: ducem vinclis, ac carcere frenas
Tartareum: ſpoliiſque redis Phlegetontis onuſtus.
Salve Chriſte: tua & quoniam nos morte redemtos,
Et caeli voluiſti inſertos orbibus omnes:
Ah noli incaſſum tot ſuſtinuiſſe labores:
Nolito exſortem tanti me muneris eſſe.

CARMEN.

NEc mihi, Anaximene o pater, illaudatus abibis;
Et licet effoeto exiguae ſunt corpore vires
Jam tandem, meme urgebo; fruſtraque recuſent
Iratae, faxo ire tua in praeconia muſas.
Nam mea quae nunc ſit pietas, ſi funeris ullus
A nobis tibi deſit honos; qui paſtor, & idem
Noſter eras Antiſtes ſacrorum? Anne gregalis,
Anne patris tanti immemores, durique negemus
Et tumulo lacrymas, & lamentabile carmen?
Sed caſtas utinam numquam, doctaſque ſorores
Neglexes; facilis laudes labor ire per omnes
Quippe tuas foret, ac te concelebrare canendo.
Tu vero ad patrii ſitientia rura Tanagri,
Barbarie in media, primis eductus in annis
Paſtores inter fatuos, ſtolidoſque ſubulcos,
Delicias animi, quibus otia rumpere vulgo
Ac feſſi rerum ſeſe recreare ſueti
Sunt homines, modo ſint homines, cognoſcere nullas
Et guſtare puer potuiſti rebus in arctis.
Ut vero tua dexteritas apparuit, & vis
Ingens illa animi, & pudor, & reverentia recti;
Ad juga continuo properas Peluſia Montis,
Miſſus in imperium; haud magnum ſane illud; oveſque
Perpaucas licet, ingenti cum laude gubernas.
Sed neque tu morem, cultumque hic repperis ullum:
Quin nemo inventus, quod dicere ſaepe ſolebas,

Cui recte pars ulla gregis curanda daretur.
Qui tamen & proprio cuperes, urbisque vetustae
Consultum decori, stare & sua praemia laudi,
Desidie marcescentes, somnoque sepultos
Dulce excire tibi, tibi dulce docere volentes.
Das quod habes: discunt illi quod scire necesse est:
Insignemque tibi quaesitam hinc rere coronam.
Res alia ad nostras autem quum mitteris oras.
Hic seu spectentur caeli, seu munera terrae,
Sive hominum cultus, credo, nihil inveniat jam
Unde hospes possit nos, nostraque temnere quisquam.
Nec mihi vitigenos latices, ac pocula Graeca,
Nec meliora, Ceres nobis quae farra ministrat,
Aera nec vacuum mens est nunc dicere morbis;
Qualibus a rebus nulli laus ulla paratur:
Sed studia, & mores pastorum nostra; quibuscum
Nil illis commune, bibunt qui flumina Halecis,
Aut Salsi, Lixive, juga aut Calamatia pascunt;
Aspera gens victu, duris prognata Sabellis.
Nam nobis, aliqua arte magis prout quisque valemus,
Doctrinaque, bonus quum sit mos ille receptus,
In disciplinam pueros, juvenesque quot usquam
Nostri sunt, ultro accipere studioque fovere;
Hinc rebus mature ipsis instructa juventus,
Scriptorum genus omne diu, noctuque volutat
Discendi studio: ut jam dicere multa diserte
Exaudire queas multos, pede sive soluto,
Sive quid adstricto tentent. Non barbara lexis,
Non hic verborum portenta, ullaeque tenebrae
Consulto offusae; neque enim nos stulta moramur

Judicia, & vulgi plauſum mercamur inepti.
Omnia ſed pure, ac caſte, melioris & inſtar
Aetatis, placideque fluant quae immiſſa per aures.
Atque hinc Auſonii quae verberat aequoris unda
Litora noſtra, & agros, ac rura nitentia circum,
Et ſilvas, propior quas ſuſtinet Apenninus,
Incolere & Phoebus pater, Aonideſque ſorores,
Omnia & arguto compleri carmine paſſim,
Laudibus & paſſim reſonare deumque hominumque;
Ut facile Arcadio noſtros a ſanguine cretos
Pervideas, quibus ars adeo ſtudiumque canendi eſt.
Anne ego propterea iraſci tibi perſequar; omnem
Nec delerit adhuc ratiove, dieſve dolorem,
Egregias adeo noſtras quod ſpreveris artes:
Quod mihi nullus honos habitus: quod inurere & alte
Tentatum noſtrae maculam ſit denique laudi,
Quum nova paſtorum coetu dare nomina pubes,
Ac nos doctrinae cauſſa clam territa adire?
At ſcio, non animi vitio, ſtudioque maligno
Feciſti, ſatis id bonitas tua magna refutat
Crimen, & excellens, ſeptus qua pectora, virtus.
Nempe bonum, apprimeque bonum par dicere, nullae
Cui ſint deliciae cordi; cui nulla voluptas;
Cui tot ſuſceptae curae, tot ſponte labores
Exhauſti, ac prope nulla ſibi hora relicta quietis,
Publica noſtrorum quo commoda quaereret, & quo
Praemonſtraret iter certum, quod ducat ad aſtra.
Hoc unum verſare animo nocteſque dieſque
Molirique opus: huc quidquid magis ille valeret
Vel prece, vel pretio, conferre, inſtareque ſemper.

Nam

Nam cui non illud ſubeat modo, limina late
Tectaque prima domus, gregibus quam pauperiorum
Uno pene die ferverent quoque; famemque
Quam bonus ille avidam, ac brumalia frigora longe
Praeſenti auxilio noſtris defendere ab agris?
Nec ſatis illud erat tamen, & veſte juvare
Nudos, collataque omnes ſtipe; paſcere perſtet
Ni verbo Chriſti, & doceat quaecumque fideles
Scire omnes debent memores, ſervareque ad unum.
Ergo revelatae hinc Triados myſteria ſancta:
Hinc trinumque unumque Deum pueri, atque puellae
Diſcunt, humanumque Deo mixtum genus: hinc et
Unigenam Patris integra de virgine natum:
Omnia perpeſſum ſub Praeſide dura Pilato:
Suffixumque cruci, crudeli & morte peremptum,
Infernas, loca ſenta ſitu, ſubiiſſe lacunas:
Tertia & ad ſuperos redivivum luce rediſſe:
Dein ſcandiſſe polum: primaque in ſede locatum
Ad magni dextram Patris: unde iturus iudex
Ad nos, quotquot erunt hominum, fuerintque per aevum.
Hinc ſenſuſque pios illi moreſque probatos
Ediſcunt; ſummumque bonum, quo tendimus omnes,
Quoque modo poſſint recta contendere ad illud.
Nam quid ego memorem, ad populum quam verba diſertus
Saepe facit, juſtumque canam, caſtumque, piumque?
Quidque aditu facilem affatuque? quid & ſine faſtu
Neglectuque alicujus honeſtum, praeque potentem?
Quidve addam caeli demum tolerata, viaeque
Aſpera multa viro, dum credita ovilia luſtrat,
Hinc Sagra quot, noſtrae teſtis veriſſimus olim

Virtutis, clauduntque illinc Bulſana fluenta?
Haud equidem credam Martinos, Ambroſioſque,
Auguſtinos, Gregorioſque olim, & Baſilios,
Totque alios, reparati ingentia nomina ſecli,
Paſtorumque decus magnum, voluiſſe ſaluti
Proſpectum melius, proprii & gregis incrementis,
Quam noſtri noſtrum, quamvis haud viribus aequis.
At ſatis ad laudem tamen eſt voluiſſe: neque auſis
Tantis ſucceſſu deeſſet fortuna ſecundo,
Si data vita foret paullo vitalior, & non
Mors praematuro illum funere demerſiſſet.
Sed ſtulte dixi: nec enim tu funere tandem
Merſus, Anaximene, aeternam cui vivere vitam
Sorte datur, coetuque frui, menſiſque deorum.
Quin etiam hoc felix, fortunatuſque, quod, aegri
Quidquid erat tibi perpeſſu durum ſuper, omne
Condonat Pater omnipotens, recipitque benignus
Mature ante diem ad ſeſe, ne tanta videres
Illacrymans hominum ſceleroſa, atque impia facta
Noſtrorum, pudor haud quibus ullus, vertere fundo
Dum perſtent patriam, magis & diteſcere rapto.

SER-

SERMO I.

NAm quid agis? celeri curſu dilabitur aetas.
Aude aliquid, concinna aliquid jam tandem aliquando
Ferre vetuſtatem quod poſſit, eoque nepotes
Te vixiſſe ſciant: fateor mea dicta fuere,
Ut quandoque gravi poſſem te excire veterno.
At non continuo, ſi velles ſanus haberi,
Scribere oportebat ſatyram, tantamque ſubire
Invidiam; modo qui tam diligerere, ſuaves
Ob mores, nulloque infectam crimine vitam.
Invidia ſed enim dices non ipſe malorum
Commoveor, placeam qui, ſim caruſque probatis.
Quos mihi, ſtulte, probos narras? quos eſſe neceſse eſt
Tam paucos, & eos tam neglectos miſeroſque,
Ut nihil inde mali valeas ſperare bonive.
Nam quis Sextilios numero, Cottaſque bonorum
Sexcentoſque alios habeat, qui ſe meliores
Ore probant verbiſque, negant tum poſtea factis?
Heu nimium vitiis aetas haec noſtra redundat,
Ut culpa prope nemo vacet. Qui furta, fidemque
Proditam, adulteria, & lenocinia, & ganeas, &
Qui ſordes, caedeſque, venenaque, totque animorum
Tangere tu poſſis morbos, compreſſa dolorem
Ulcera quin faciant, rabidaeque, truceſque repente
Irae exardeſcant? Nollem quod ruſticus olim
Paſſus, me ſpectante, tibi accidat. impiger ille

Ante fores ſtabuli petimen dum tergit aſelli,
Scalpendique modum nullum facit; ecce doloris
Sive morae quadrupes pertaeſus denique, vertit
Clunes, ac improviſo, nil tale timentem,
Calce petit, ſternitque. deum tunc ille hominumq:
Exclamare fidem: miſerum ſe, aſinumque ſceleſtum,
Qui bene tam meritum dominum male tam accipiebat.
Nos hominem effuſe contra ridere, ab inerti
Qui, ignavoque aſino ſapientiam quaereret excors.
Eſto nihil timeas, quod mens tibi conſcia recti
Sit tua; nec ſanctae, ſancto ſub principe, leges
Vim metuant. Quid, ſi multum quandoque negoti
Confieri innocuis, indemnatiſque vides, &
Non ex jure manu conſertum ſemper agi rem,
Sed quandoque etiam ferro, lignoque maligno?
Si ſapis ergo, putres animos abſiſte medendo
Attrectare hominum; tibi nam, praedico, creabunt
Magnum aliquod, capiti illorum aetatiq., periclum.
Rides? Hercle ego vero rideo; nam quis amice
Verba tot incaſſum fruſtra molimine tanto
Jactantem non rideret? Sunt, quis neget? haec tu
Omnia vera tamen quae dixti; ſed nihil ad rem;
Quandoquidem non caecus ego ut non iſta viderem,
Si fuerat viſis opus. Ergo tanta remordet
Quando mei te cura, meam nunc accipe mentem.
Principio qua ſim provecta aetate, putare
Te Mazaee velim: mihi, ſis ne neſcius, una
Ad ſenium nunc jam properanti aeſtas, hyemeſque
Binae obſtant: natura ut ſcis ſubtriſtis, & aſper
Sum nimio plus quam vellem: nec factus ad ullam

Mollitiem verborum, ſeu morum. canerem ergo
Fulmineos oculos dominae, crineſque nitentes,
Sydeream frontem, os roſeum, labiaſque rubentes,
Candidulos dentes? quis non me rideat, atque oh
Bellulum amatorem addat? Num per me caput alga
Tectus & ipſe ſuo Tybris de flumine ſurgat:
Audiat aut Caeſar Romanus: ſeu ferus Orco,
Sanguine turpatus Teucrum, remeabit Achilles?
Aut Anchiſiades pectus ſuſtollat ab urna
Tempora Vulcani contectus caſſide, & haſtam
Ipſe manu quatiens? nimium ſim immitis, eorum
Si natibus quoque ego ſat jam liventibus addam.
Nam nihil eſt, ut ſtagna velim inferna irruere ultro,
Nullo operae pretio, tantum viſurus hiantis
Ora canis, foedas umbras, poenaſque nocentum;
AEtherei vel regna patris, ſedeſque beatas
Immenſum per iter conſcendere nuntius, actum
Quidnam nos inter fit, quid non, tum rediturus;
Somnia vel tandem chartis mea texere, cum ſim
Nulla bonus ſomniare, quibus conſtet caput, aut pes.
Ut dicam plane, modicum mihi, vel prope nullum,
Brocchus uti putat, ac vel re non peſſimus auctor,
Ingenium eſt. Moliri ergo cum magna nequirem,
Hoc fuerat reliquum, ſatyram tentare, ſeveros
Quae res una meos mores, annoſque deceret.
At ne quid tamen inde putes mihi poſſe noceri:
Nulla, deum virtute, mea exſtant impia facta,
Aut dicta, & nec, uti ſpero, exſtabunt. Facere ullum
Non ego mortalem ſuetus ludumque jocumque
AEgrum animi quemquam; ipſe ſibi modo ſtrenuus adſit,

Ac vitiis obſtet, quantum pote. Ferre ſed illos
Qui valeas quaeſo nebulones, qui ſibi nullam
Quaerere opem ſolertes, at faciunt tamen hoc plus,
Ut ſe ſponte malos populo quacunque probare
Contendant ratione: bonos autem jam quotquot ubique
Sunt, habeant prae ſe contemptos ridiculoſque?
Hoſce impuratos homines, ſi quid mea poſſunt
Carmina, depexos pulchre dabo, nullus ut Urbis
Contentos in ſe digitos non horreat omnes.
Nam ſua confictis quantumvis fabula agatur
Nominibus, nihilo ſecus at bene tam, graphiceque
Deſcribentur, uti videant ipſi ſeſe, atque videri
A cunctis illa credant ſub imagine turpi.
Nec tamen idcirco ſperes hos lege, vel unquam
Vi mecum acturos. Quid enim? Quia vincere nemo
Detraxiſſe queat de ſe nos; hunc ita ludum
Ludemus dextre atque cate. Bacchanal adaeque
Jucundum ſaxo nullum luſum lepidumque.
Qua id ratione rogas? madidi genialia Bacchi
Orgia finge animo; cujus comes unus & alter,
Dum motus incompoſitos dat, dum cooperta
Vitibus atque hederis intentat cuſpide thyrſum;
Spectare incauta, & nihilum ſibi turba timere;
Huius & illius diſtringi hic corpora paſſim;
Nec mutire tamen prorſus quiſquam; & ſapienter,
Ad damnum ne hypotheca ignominia inſuper. Ille
Bacchicus interea noſter ſecurus abire.
At vocet & quis me matula in jus; carmine ſtrictum
Seque malo contendat. aget nihil: ipſe negabo.
Inſtabit factum: ipſe negabo, perque negabo.

Haerebit: quid enim dubites? ac denique risus
Perpessusque jocos omnes, caussam mihi tradet,
Diffugietque. domum ipse meam victor remeabo.
Nam vim cur timeam non est, cum durus & asper
Publica procurem haud ego vectigalia; nunquam
Aut bonus unanimes armare in proelia fratres;
Ullius aut foribus putres suspendere feles.

S E R M O II.

Nimirum mea verba tibi visa ardua, Galle,
Stultaque, quum dixi, non longius absore, quum tu
Optari mores alios, aliasque profecto
Virtutes videas, Anyti quas non reus ille
Vidit, Chrysippi nec porticus audiit unquam.
Sed ne me temere falsove reare loquutum,
Ausculta paucis nunc, & mihi quaeso operam da.
Non ego te auscultem, quando non huc alia re
Veni, quam fando tecum has uti transigerem horas?
Ergo audi. Primo sed enim hoc ponamus oportet:
Haud regem sibi posse aliquos ascíscere amicos,
Ac retinere, illorum mores quin probet una;
Nec fieri posse, ut quos mores rex probet unus,
Illos non plerumque probent juvenesque senesque,
Plebs omnis. recte id primum, quoniam annuis ultro.
Nunc age Suffenum spectemus amice parumper,
Unum noster habet quem praecipuum assiduumque,
Cujus & unius Caesar vult omnia causa.

Non hunc ulla ... Mane, ſcio jam quid dicere velles,
Scilicet infenſum illi me: fateor: quid eo tum?
An quidquam prohibet infenſum vera profari?
Nil ſane, pudor illi dum ſit, qui mihi certe eſt.
Quare ne dubita: nulla hic mea fabula, nulla
Et joca, quae nequeat virgo e Veſtalibus una
Audire atque loqui haud ullo ſuffuſa rubore.
Nam jure iraſcar Suffeno, vel ſecus, illud
Videro poſt alias: nunc me ſine dicere, & audi.
Non hunc ulla domi virtus ſpectata, foriſque
Commendabat. habebaturque probus, quia nulli
Dicere, vel facere auſus adhuc male; quum bonus ille
Interrex, hominis ſortem miſeratus iniquam,
Sordibus aut captus, quod valde ſordidus eſſet
Ipſe, juventutis domui praefecit alumnae.
Noſter adhuc terere aſſiduus ſacra limina divum
Mane die, & decies ſaltem, decieſque ſub ipſum
Occaſum ſolis; decieſque minutula quaeque,
Noctu, admiſſa, genu lapſus, peccata fateri,
Exque piari. Ardens frenum mordere magiſter
Curio, nunc epulas actus, nunc rumpere ſomnos:
Nam quid id eſt? abſolvi te modo, dimiſique:
Tu modo es hic. Veniam facilis da mi, pater, oro;
Nam novus injectus ſtimulat me ſcrupulus. audi.
Jejunabam hodie, quod, uti ſcis, terque quaterque
Suetus in hebdomada: lautumque inviſere ad Hirrum
Ibam forte, meus veluti mos eſt, adeoque
Scalas aſcendebam ipſas, caroque beatae
En ſubito naſum ferior nidore culinae,
Qui prorſum me externavit miſerum: ergo reſiſto,

Ac patulis unctas capto dum naribus auras,
Me labe inficio, sancta & jejunia frango.
Tantum est. Conceptam lacrymis ergo ablue noxam:
Tum biduum jejuna. ego te absolvo. Eja age abito.
It, redit: & fuerat, de quo te consulerem unum,
Infit, & exciderat. Nugarum expecto tuarum
Nunc aliquid. Nugae haud hic ullae, seria quando
Aeque nulla quidem certe sunt, atque salutem
Quae nostram spectant animorum, ut saepe doces me.
Tum porro sic factus ego, dis gratia, ocellos
Claudere uti nequeam somno, si conscius unquam
Vel dubii ipse mihi sim peccati minimique.
Dic ergo. A coena ad te dum venio, haud procul hisce
Aedibus, ante pedes semissem conspicor, eccum,
Namque tuli: quid eo faciam? nam retinere
Relligio est, quae res mea non sit. Scilicet aut tu
Ludis me, aut semissis homo vere es, nihilique,
O bone. da, dominum ipse invenero restituamque.
Da, quid adhuc cessas? Nunc tete hinc ocyus aufer.
Hactenus haec: ut namque domum ingressus in illam,
Praefectusque inventuti est, prior ilicet omnis
Vitai ratio. librae cordi, trutinaeque,
Pondera, mensurae omne genus, tabulae & rationum;
Dum patrem sese frugi navumque bonumque,
Ac domui cupere aeque vult puerisque videri.
Plumbea quin primum discrimine secta fideli
Uncia bissenas in partes, instar eorum,
Queis mactamus aves, globulis; ne tantula casei,
Aut laridi, aut panis pueris pars una, salisque,
Plus detur justo, aut minus & dispendia fiant.

Quin multam ad noctem vigilatur ſaepius, atque
Non ſemel integram, in tabulas dum ſedulus omne
Acceptumque, datumque refert, ſuaque ipſe diurna
Lucra putat, conditque bonus. Nam quae annua merces
Ipſius eſſet, eam ſibi vel partitus in horas,
Dividit, atque aufert cujuſque in fine diei:
Quod nec deberi ſibi vult, debere nec ulli
Ipſe aliquid. Caecum vel dum quandoque trientem
(Saepe, velut magnum, quod praedicat) elicere inſtat,
Innumeris chartas numeris & ſedulus implet,
Ne fraudi poſſit domuique ſibique quid eſſe.
Attamen & bonus idem, & ſervantiſſimus aequi,
Omnia continuo annonae purgamina, quidquid
Furfuris & poſthac eſſet, ſibi fortiter ipſe
Sponte ſua addicit: nec eo contentus, ad omnes
Res animum verſat, rebus queis maxime aduncae
Otia nulla manus agerent, arcaeque noceret.
Opſonj quantum mi obtingit, non edo: poſſet
Quod ſupereſt, video, pueris adcreſcere, & illas
Relliquias augere, a nobis quas tot hiantum
Expectat miſerorum turba in limine primo:
Verum quid lucri inde mihi? An non murmura ventris
Dimidio poſſim compeſcere: dimidiumque
Vertere tum pretio alterum, & hoc inferre crumenae?
Sic facto eſt uſus. facit ergo, veſpere & uno
Quoque, duos aſſes hinc, aut paulo amplius, aufert.
Vina, rei parcens, iamdudum nulla bibebam
Nec bibere eſt animus, modo id eſſe meam queat in rem:
Et glacie nunquam mea frigida pocula amavi.
At ſi vina bibam, glacie illa & frigida facta,

Haec

Haec mihi deberet pretio domus ipſa parare:
Illud jus igitur pretium mihi ſumere, faſque eſt.
Sumit, & in lucem quamque hinc tres conficit aſſes.
Sunt ea parva quidem. Minime autem quottidiana
Quae ſunt, atque animi fiunt vitio. faciat plus
Crede mihi, queat ipſe modo. Veluti fuit illa
Olim nequicquam tentata redemptio. Quaenam
Nicoleos? nam nunquam audivi. Accipe, eadem
Atque opera, quaeſo illud ſpecta, quam ſit avarus
Caecus prae ſtudio, ſibi montes dum ſtruat auri,
Ut videat, pudeatque nihil, nil cogitet excors.
Praefectum ille domus verbis compellat amicis
His olim Fuſcum: Annonae tua plurima noſtrae eſt
Cura, graviſque, ſcio. quid, ea ſi te exonerem nunc,
Meque onerem? Spero hoc adeo me gratus amabis.
Annonam hanc ergo redimam; nec mi amplius opto
Frumenti noſtrum in capita, anno quoque, medimnos
Quam ſenos. Quiſnam videor tibi? Nempe modeſtus,
Fuſcus ad haec, ſimiliſque tui; quando hoc tibi parui
Sufficiat lucri, modiorum nempe trecentum
Annuus ad minimum numerus, nilq. amplius optes.
Hic ubi ludibrio eſt habitus multum, inde malam in rem
Juſſus abit. Reliqua aſt pergam pertexere dictis.

Eſſe aliquos puto, cumque his te forſitan una,
Galle, quibus miranda adeo res haec videatur,
Quae tam Suffeni jejunia multa feruntur:
Quum ſit revera nihil hic mirabile quidquam.
Ille etenim vitae primis aſſuetus ab annis
Et parcae & durae, quod res ſic arcta ferebat,
Grandior ut factus, quum non aut ditior eſſet,

Fol-

Folliculi ut animam, lentiſci aut perdere fumum
Vellet, pane, & aqua crepitantem plurima ventrem
Vilibus aut pomis placabat, caſtaneiſque.
Nactus ubi tamen imperium eſt, factuſque tyronum
Ductor, ſic ſecum: jejunabam antea ſumptum
Ne facerem: cur non & jejunem modo queſtum,
Ut faciam? An non mi debentur edulia quaeque,
Vel pretio mutari, aliis quae dantur, & eſſe
Aut morbo affectus, ſanuſve aliquando recuſem?
Debentur ſane, facere & certum eſt: nec eo mens
Nomine, ſat ſcio, me mea mordeat, ullius unquam
Conſcia peccati, quando mihi opinio viſa
Eſt ſemel utcumque probabilis, atque videtur,
Quaeque etiam arridet noſtro haud inimica lucello.
En tibi Suffeni jejunia, Galle, repoſta
Omnia & illa quidem loculis, & clauſa potenter.
En tibi cur feſtis etiam perſaepe diebus,
Ac Domini natali ipſo ſeſe abſtinet eſcis.
Ridicule narras; laetorque quod hanc teneo rem
Denique uti ſe habeat, quae me torquebat ineptum.
Nam capere haud unquam potui. Nec adhuc capis omnino
Omnem, crede mihi: neque enim jejunia prorſus
Hic ulla, aut macer eſt ullius de more cibatus.
Nam quoties agitat pius haec jejunia noſter,
Communi a menſa ut ſurgunt, citus ipſe cubiclum
In proprium recta, foribus ſeque abdit opertis.
Quid faciat quaeſo ſic abditus? ile minuta
Aut farctum carne, aut pernam, lactemve coactum,
Glandiave abſumat, patres quae plurima dono
Dant, nimis in gnatos ne ſaeviat aſper eorum.

At-

Atque etiam id ſcio ſaepe animadverſum, ſubita re
Quando aliqua tunc temporis illum quiſpiam adiret,
Eque vocaret, ſic pingui, ſe praeſto futurum,
Reſpondiſſe ſono, indicio ut ſatis eſſet utraſque
Completas buccas: ac mox, prodiret apertis
Quum foribus, ſibi labra manu detergere viſum.
Quippe pium narras hominem nimis, & pudibundum!
Quippe magis ſpero mox dixeris, hoc ubi diſces,
Quod modo dicturus, ſcire & te valdius opto.
An quidquam dici potis eſt injuſtius unquam,
Turpius, improbiuſque, haec quam ſunt, quae modo dixti?
Neſcio ego: ſatis aſt unum ſcio, Galle, pudentis
Non eſſe hoc omnino hominis, quod dicere pergo.

Ad magni tandem pervenit Caeſaris aures,
Suffenum tota paſſim riderier urbe,
Seque adeo haud falſo differri nomine, quod res,
Ut ſapiens, qui pervideat, curetque minutas,
Haud videat, curetque vetus magnum publicumque
Hoc latrocinium. Quid vis? Ut denique ſenſit
In ſeſe culpam hanc derivari, quae aliena
Culpa eſſet, doluit: Quatuorvir & unus, & alter
Conſulti, primos caſus quos obtulit ultro.
Praeter vina tamen nihil eſt, glaciemque relatum,
Aut verbum factum. Demum diſceditur, omnem
Poſtquam Caeſar eam dixit ſibi rem fore curae.
Nonne fuit?. Fuit & vero; nam noſter eodem
Illo mane die vinumque, nivemque, culignam
Imperat & vitream quaeri, ſuberque picatum,
Afferrique cito. Praeſto ſunt omnia. vitro
Infert vina cavo: vitrum demittit in orbem

Subereum: glaciem concidit: fruſtula dextra
Colligit, inque ſuper vitro ſtruit: applicat ambas
Deinde manus, vannique inſtar quaſſatque, rotatque.
Tum menſae accumbit: primaſque ubi conficit eſcas,
Egregie calices ſiccare, haud ipſe pitiſſans,
Adgreditur, verum tamen hauſtu, ſpiritu & uno,
Quod faciunt Bromij dudum qui caſtra ſequuntur.
Caerula quid cenſes ibi tum legio? ſubita re
Obſtupuit: monſtri ſimile eſt ſibi namque videre
Viſa: hominem abſtemium temeti ſic tempore puncto
Eſſe avidum factum, Germanus uti haud mage quiſquam.
At ceſſit ſtupor, ut mox exceſſere triclino,
Ac legem reſcivere hanc a Caeſare dictam
Suffeno: aut bibat: aut pretij nihil auferat inde.
Verum quid nares corrugas tu modo, Galle?
Anne dolet quidquam? Dolet, haec quae falſa putabam,
Optabamque, audire ex te veriſſima. Nam qui
Omnia, quae lippis nota, & tonſoribus eſſent,
Neſcirem ſolus? Dolet autem, quod mea ſic eſt
Nunc ratio: docilis nimium plerumque juventus
Eſt, pravique tenax: igitur ſi nacta magiſtros
Eſt ſemel impuros, quid ſperes amplius illa?
Impurata ſit ipſa etiam, dum vivat, itemque
Impuros alios procudat oportet. Oportet,
Narras? haud recte; citius dic, Galle, neceſſe eſt.
Mortales etenim natura impellimur omnes,
Nobis quae utilia eſſe, & maxime honeſta videntur,
Illa ſequi. pueri autem, queis prudentia nulla,
Nullus adhuc uſus rerum eſt, nequeuntq: quid inter
Sit rectum pravumque videre, aliud faciant quid?

Quid

Quid quaeſo, niſi eos imitentur, quos pater ollis,
Aut patruus prudens, aut prudentiſſimus ipſe
Cuſtodes dederit Caeſar, vitaeque magiſtros?
Praecipue ſi rebus eos quam maxime honeſtos
Omnibus aſpiciant laetos tota urbe alacreſque
Pervolitare, vident uti Suffenum, Baviumque?
Quem Bavium narras mihi nunc? Quo doctior alter
Nempe hominem nemo facere eſt unum duo. noſti
Illum ſat puto, qui quatuor quum vincula menſes
Triviſſet, vix inde ſolutus, dignior unus
Inventus fuerat, qui ſcriba & Caeſaris eſſet,
Caeſareaeque domus praefectus: deinde cohortis
Deſignaretur cuſtos, doctorque tyronum
Unius: indignum aſt facinus, quoniam una bonorum
Vox fuit, abſtinuit conatu Caeſar utroque.
Qui tamen haud vellet tantam ſpectare jacentem
Virtutem, ſacrum primo cum tempore inungit
Ocyus hunc hominem, ac urbanorum jubet eſſe
Myſtarum in numero. tum quidquid ubique vagorum
Eſt puerorum extra Suffeni ſepta, ſacram qui
Militiam ſpectent, pretio omnes inſtituendos
Imperat huic tradi ingratis, bene quo miſero ſit.
Nam quid ais tu Galle modo? Haud equidem hinc vitiorum
Parva ſeges, video, ſuccreverit, unde ruinam
Publica res faciat ſacra, Suffeniſque redundent
Omnia mox, Bavijſque; aetas quando puerorum
In diſciplinam detur pejoribus; [illegible]
Praecipuos habeat pejores, auctet, honeſtet.
Idque ipſum ſane fuerat, quod dicere vellem.

IN TERENTII ANDRIAM

PROLOGUS.

OH! quaſi res magna ſit cum his nugarier
Nunc aliquid donec uſque comparamini.
Abi ſis tu. Spectatores, propitiam
Salutem dico mihi primum, & noſtro gregi:
Tum deinde vobis. Quid? numnam, quaeſo, dolet
Salutem dixiſſe prius me mihi? An puer
Quod ſum, ſtultum adeo me putatis, mavelim
Ut vobis melius eſſe, quam mihi? quod neminem
Facere uſquam vidi, neque vos facitis. Non ita eſt:
Proximus aeque ſum egomet mihi, ac quiſque eſt ſibi.
Nunc quid proceſſerim, quaeſo, animum advortite.
Pueri hic aliquot coimus hodie, comoediam
Latinam acturi Andriam Terentij.
Quanam potiſſimum cauſſa, ſi quis roget,
Latinam, paucis, ut potero, expediam modo.
Nos hoc aetatis cum ſimus, quo cernitis,
Quid totos dies agamus? num pila, aut trocho,
Taliſve ludamus mane a primo in veſperum?
Aetas quod unum noſtra fert, incumbimus
Latinam in linguam, quod ea continerier
Doctrinas ajunt pleraſque omnes, ac bonas
Artes, queis nos boni inſtructos noſtri volunt
Patres, & nos volumus: boni nam eſſe, & bonis

Pla-

Placere ſtudemus, atque uſu Reipublicae
Alicui eſſe aliquando, ſi vita ſuppetet.
Ergo propterea & Plautum, & Terentium
Aſſidue nunc verſamus, qui rei principes
Latinae habentur; & certe ſunt. ducimus
Hanc etenim rationem: qui praeſtant plurimum
Plurimum etiam collaturos. An non ita 'ſt?
Annue tu. Verum quorſum haec? dicet quiſpiam.
Quod vana ſpe aliquem fruſtrari veſtrum haud velim,
Qua mox dejectus nobis ſuccenſeat male,
Cum in agendo nos iſtance fabulam, rei
Prope nullius tenere modum perſpexerit.
Non voce, non geſtu, non vultu commode
Satis ſententiae ſubſervire: non loco
Stare, ac excedere, atque ea denique omnia
Quae facta oportent, recte facere, atque ordine.
Haec ſi qui ſunt ſervent, naſutiſſimi
Homines, ilicet: haud hoſce naſutiſſimos
Moramur, qui tam acutum in aliorum vident
Vitiis, & nodum in ſcirpo quaerunt. Conferant
Seſe ad eos, callent qui hiſtrionicam, & diu
Hoc ſaxum volvunt; pueros mittant parvolos.
Cur nos ergo advocabatis? quia vos bonos
Benignoſque putabamus, & noſtrum omnium
Amantes maxume; hoſce quo pulcherrimos
Conatus, atque ad laudem, & virtutem impetus
Noſtros juvare, animoſque nobis addere
Velletis. Quare veſtrum eſt nunc, noſtro gregi
Adeſſe, favere, &, quod caput eſt, ſilentium
Comoediae facere, id facere ſultis, quod decet.

Oh!

Oh ! ſuntne hic etiam feminae ? & certe ſatis
Si nunc proſpiciunt oculi, ſunt. Hei mihi,
Animo male eſt. quid ſperem amplius ſilentii?
Periimus. garrulae, incommodae, odioſaeque ſat
Superque ſunt omnes. obturbabunt. Caput
Mi prurit. actum eſt. An non ego ſum ſtolidus
Qui id metuam? Noſtrae hae ſunt, noſtrorum ſcilicet
Cognatae, aut matres puerum. Nam certo ſcio
Mea hinc abeſt, intenta lanae, qui ſibi
Parviſque natis paupera victum quaeritet.
Nil ergo ab his pericli eſt feminis: bonas
Namque eſſe oportet, optimas, lectiſſimas,
Quae tales natos tali ingenio, atque indole
Ornatos habeant, tamque eductos libere,
Ut noſtri ſunt. quare illas nil convicii
Nihil tumulti facturas confidimus.
Sed revocant: abeo. Vos modo, ornatiſſimi
Spectatores, gregi noſtro audientiam
Facite: adjuvate, qui alacrior ſit, obſecro,
Neu vos metuat. Valete, nanque eccum ſenem.

G R E X.

SPectatores, peracta nunc jam fabula eſt:
Abimus; neque nos exſpectetis dum hodie
Huc denuo exeamus: intus omnia
Quae reſtant, tranſigentur. Antequam tamen
Abeamus hinc, officio facere vel ſatis

De-

Decet nos. Igitur veſtra quod praeſentia
Honeſtatos nos voluiſtis; quod & largiter
Aequi & benigni fuiſtis in noſtrum gregem,
Omnibus habemus gratias merito maxumas,
Habebimuſque dum vivemus. Vos modo,
O boni, ut incepiſtis, pergite juvare, quo
Veſtra meliores opera ſimus. Plaudite.

A L I O   M O D O.

D A V U S, E T P A M P H I L U S.

SPectatores, peracta nunc jam fabula eſt:
Abimus; neque nos exſpectetis dum hodie
Huc denuo exeamus: intus omnia,
Quae reſtant, tranſigentur. Antequam tamen
Abeamus hinc, officio facere vel ſatis
Decet nos. P. Deſinas, partes hae ſunt meae.
Quod me, meamque nunc domum praeſentia
Veſtra hodie, nobiles ac diſſertiſſimi
Viri, tam facile honeſtaviſtis, gratias
Magnas immortaleſque ago merito omnibus.
Et ſeorſum deinde tibi praeterea, ampliſſime
Princeps, qui ad ludos hoſce pueriles meos
Spectatum huc, haud gravatus es, benignitas
Quae tua ſumma eſt, venire. Diu te ſoſpitem
Superſtitemque ſervet Deus. Tum omnes ſimul
Sitis felices, ac valete. D. Et plaudite.

IN

IN TERENTII ADELPHOS

PROLOGUS.

Silete, ſpectatores, atque aures mihi
Praebete, ut pernoſcatis quid proceſſerim,
Quid afferam, quid mi velim; namque haud pote 'ſt
Vos ſcire, ni ego praedixerim. Non perdiu eſt
Cum in mentem venit noſtris praeceptoribus
Comoediam nobis hiſce bacchanalibus
Ludis agendam aliquam exhibere; atque exhibent.
Alacres ſtatim annuimus; perfacilis nanque res
Haec tunc videbatur. Nulla ergo fit mora:
Partes diſtribuunt: nos certatim exſcribere,
Ediſcere, ac contendere. Quid tum poſtea?
Periclum ut primum facimus, perdifficilis, &
Plus nimio res experiundo viſa ardua eſt,
Atque putaramus. Aſpere hic, & ruſtice
Adeo: ille vero tam preſſe, atque exigue
Pronuntiat: indecore ille alius ſic caput
Manuſque jactat: hic alter ſic diffuit,
Incondite ille alter ſic verba conſuit,
Sententiam corrumpens, ut ludibrio
Vel ipſi nobis ſimus, & faſtidio.
Quid verbis opus eſt? animum omnes nos illico
Deſpondere, onus & curam omnem deponere.
Quid noſtri facerent doctores egregii?
Adſunt, addunt animos, & dictis recreant:

Nul-

Nullam adeo difficilem eſſe, quin facillima
Sit res, lubens quam facias: naviter ſibi
Operam ſi demus, his ſane ex anguſtiis
Brevi emerſuros, magnam & partam gloriam
Nobis futuram. Tum autem, venia cum bona,
Ineptiores alios pueros ſegregant
Dimittunt: alios aptiores aggregant:
Monent, praemonſtrant, erudiunt, expoliunt
A mane in veſperum. Ut illis bene faxit Deus,
Ex animo nobis tam bene qui factum volunt,
Noſtra adjuvantes ſtudia. Quid multa? in dies
Magis proficimus magna cum laetitia.
Eoque ventum eſt tandem, ut hanc comoediam
Videremur poſſe agere haud nimis incommode,
Modo ad ſpectandum non deſit benignitas.
Ei praeſtituta iſtaec ergo rei eſt dies.
Nunc convenimus omnes. Verum, ut plerumque fit
Ubi quid agunt pueri, unuſquiſque dum ſuo
Se ornatu exornat, annus eſt; quod mi dolet
Impendio magis, noſtrum hic vos exitum
Praeſtolantes tandiu eſſe. Nam quid praedicem:
Eja agite dum? movent omnes, nec promovent.
Inſto: verum illi iraſci: odioſus es, necas,
Inquiunt: ſi tam dolet haec tibi cunctatio,
Prodi, cumque illis aliquid more nunc tuo
Nugare, noſtrae eos ne taedeat morae.
Probant omnes conſilium. Sic facto eſt opus,
Conclamant, & me cum dicto trudunt foras.
Omnium. . . ſed nolo in illos gravius dicere;
Ne quorum facta & odi, & vitupero,

Eorum ſimilis ſim, ac imiter ſtultitiam.
Quin potius vos oro jam, aequi ut ſitis mihi,
Imprudens ſiquid forſitan peccavero.
Verum autem quid dicam tum poſtea? haereo,
Miſer. Hem ſuccurrit: comoediae proferám
Principio nunc nomen. Adelphi Terentij.
Quid contraxiſtis frontem? Quidnam tu caput
Quaſſaſti? dic. an & tu ex illis unus es,
Cui noſtra non probetur haec induſtria?
Si id eſt, tuam nequeo jam mirari ſatis
Rationem, qui invocatus huc adveneris,
Ubi ſpectes, audiaſque quod placet parum.
Verum ego veniam haud gravate do, puer, tibi,
Puer qui ſis. verum illis iraſcor magis,
Qui te, atque alios in fraudem illiciunt peſſumi.
In quos ſi forte dixero inclementius,
Obſecro, ſpectatores, meo juſtiſſimo
Dolori ignoſcite; nanque eo res denique
Adducta eſt, ut ſpes nobis reliqua nulla ſit,
Quin perpetuo pereamus. Id quomodo
Fiat, amabo vos, nunc paucis attendite.
Eſt genus hominum, qui haberi primos omnium
Se rerum volunt; in quibus, ſi exceperis
Quod aut aliquo ſint genere orti, aut pecunia
Affluentes, aut ſcurrae potentioris viri
Alicujus, nihil eſt aliud praeterea inſuper
Quod admirere. Verum, ut ſunt plena omnia
Stultorum, honor ubique illis longe maximus
Habetur: aſſurgitur: aſſidendi locus
Datur primus, honeſtiorque. Hi tum belliſſimi

Ut ſibi quidem videntur, veluti publice
Juri praeſideant dicundo, quaecunque res
In medium veniat, quae aliquid forte habeat
Quaeſtionis, arbitratu ſuo dijudicant,
Definiunt; quod jus ratumque eſt omnibus.
His coram face quis dixerit: Oh! quid novi
Neſcitis? Nam quid illud eſt? Adoleſcentulos
Aliquot, ajunt, comoediam Terentij
Latinam propediem acturos hic viciniae:
Atque eccum actorem unum: meque oſtenderit
Qui forte ignarus illo appulerim: inſuper
Addens: bonis puerum, ajunt, ſtudiis deditum, &
Spe praeditum animi, & ingenij ſatis bona.
Tum noſtri Areopagitae praeclariſſimi
Statim pronuntiant: Nugae, nugae merae.
Nam quid malum, iſtoc iſti cum Terentio
Volunt ſibi nunc, qui nulli hercle rei eſt bonus?
Nam ſi alicujus rei eſſet, tunc infit alius,
Terentius hic, mihi dediſſet, ſat ſcio,
Magiſter meus: at papae qui vir! quo fuit
Nuſquam grammaticus quiſquam ſubtilis magis,
Quin nec futurus eſt quidem; ut conjicere
Cuivis facile eſt, tot ex viris clariſſimis
Qui ex illius ſchola, ceu Trojano ex equo,
Prodierunt; atque ex nobis adeo ſi lubet.
Tum poſt noſtram adoleſcentium vicem dolent,
Quod tempus, eheu miſeri! & operam ludimus.
Sed hos mittamus nebulones nequiſſimos,
Ut digni ſunt, in maximam malam crucem.
Nunc venio ad illos, qui ſancti & pij admodum

Habentur, & ſunt fortaſſe, homines, qui male
Noſtri poetae judicant de fabulis;
Ineſſe in illis quod lenones audiunt
Impuros, meretrices avaras, virgines
Compreſſas, juvenes & amatores, & ſenes.
Et nobis nimio plus ſatis, quam aequum eſt, timent.
Quid illis facias, per quos non oportuit
Profanam nec ſcribi, nec ſacram hiſtoriam,
Nec jura omnino nobis, & leges dari?
Et hos quoque etiam mitto, nanque oratio
Alio feſtinat mea nunc jam. Vos interim
Pergite, ſpectatores, mi dare ſilentium,
Ut hactenus feciſtis. atque illum, obſecro,
Compeſcite dum mi impuratum puerum denique,
Jamdudum qui mihi exhibet negotium.
Scilicet animi cauſſa me nunc ſimiolus hic
Invenit, quem exagitet. Sed illud tu face
Memineris: nanque praedico, puer, tibi:
Si te unquam ſolus ſolum alicubi offendero,
Nunquam hercle quiſquam me eſſe Angelium dixerit,
Si non te, ſcelus, ut meritus es dimiſero.
Quid illud modo quod volui dicere? quid? quid? hem.
Sunt qui grammatici uſurpantur, quos ego tamen
Iſtoc nunquam tam honeſto digner nomine:
Sed illos potius grammatiſtas dixero:
Id eſt grammaticos falſos, & vaniſſimos:
Qui quoniam ingreſſos aliam nos vident viam,
Et mature aliquid ſapere, quod vel neſciant
Ipſi, nedum tyrones eorum, invident,
Carpunt; neque ulla jam quietos conſiſtere

In re nos patiuntur. Num nam per eos ſtetit,
Quo nobis minus hanc interdiceretur ut
Comoediam ne ageremus; & noſtri patres
Et praeſides a nobis & Terentium,
Et Plautum, & omnes libros, uno currere
Excepto, illuc juberent, ſaturi quo ſolent?
Scilicet id nollent aſtuti increbeſcere
Latinam linguam vel nullo negotio
Parari poſſe verſandis, & memoriae
Latinis mandandis ſcriptoribus bonis.
Nam qui hujuſcemodi tu frequentes nunc ſcholas,
Ubi te vanis tot praeceptiunculis,
Totque apinis, totque tricis tundant, enicent?
Quae quum belle barbatus tandem calleas,
Latine prorſum intelligere, aut mutire nil
Queas. Verum tibi idem ac Cteſiphoni accidat
Noſtro, qui, ut mox noſcetis, plenus quum fiet
Praeceptorum, ipſe tamen nequam eſt & nihili homo.
Ne revocate, obſecro, me: finite dum, boni
Gregales, iram ut in eos hanc omnem evomam.
Sed perſtant: eundum eſt. Verba praeterea duo
Sola addidero, & redeo. Vos noſtro nunc gregi
Favete, ſpectatores ornatiſſimi.
Re facite ipſa, quaeſo, facile uti appareant
Veſtra in nos ſtudia. Valete nanque eccum ſenem.

E C L O G A

PALAEMON, ABEDON.

SAepius hac fratrem ſecreta montis in umbra,
Paſcua dum noſtri tonderent laeta juvenci,
Dulciſona audivi meditantem carmina avena:
Suavius aſt nunquam, quam paucis ante diebus,
Quum ſtata ſacra iterum celebrarent Arcades anno
Paſtores noſtri, quae nunc de more novamus.
Ille canebat, ego poſt haec carecta latebam,
Ne interturbarem, tacitus, memori omnia menti
Contradens, quae nunc referam tibi cuncta-volenti.
Ab. Nam cupio certe. Sed primum dic, age, quamdiu
Exſpectatis eum, fratres, patruuſque, paterque?
Pa. Haud habeo certum, & vereor ne longius id ſit,
Quam vellem. Nimis ille Tybrim, nimis ille beatos
Colles, Parrhaſiaſque umbras, ſylvamque ſonantem,
Et ſtudia, & mores illorum ſuſpicit alte
Paſtorum, multos quorum ſibi junxit amicos.
Ab. Quin id gaudendum potius tibi duco, tuiſque,
Inque videndum illi a nobis, qui rura puſilla
Incolimus ſemper, patriiſque ſeneſcimus arvis,
Noſque ſatis magnos, ſat dites eſſe putamus,
Nec bona ſentimus, quae reſtant multa paranda,
Quo vere magni, ac dites vere eſſe queamus.
Ditior ille autem, ſpero, meliorque redibit:
Atque etiam mage, quod ſpero, fortaſſis honeſtus.

Sed mihi quod dixti expedias: nam ſolvere habenas
Laſſis Phoebus equis celerat, tenebraeque propinquant.
Pa. Dicam quam potero paucis. Repetebat ab alto
Multa quidem frater, primaque ab origine: noſtram
Ut Pater omnipotens ſortem miſeratus iniquam,
Sublimi unigenam demiſerit aethere natum,
Per quem cuncta Pater, terras caelumque profundum
Condiderat: caeloque ac terris quidquid habetur:
Quidquid ubique eſt, aut fuit: & per quem omnia ſervat;
Virginis intactae ſacra quo indutus in alvo
Mortale hoc ſpolium, primaevi ab labe parentis
Humanum ablueret genus, ac inferret Olympo.
Deinde homines inter gnatus quos ipſe labores
Ac quantos tulerit, pauper, preſſuſque ſuorum
Fraude mala, atque odiis, donec damnatus iniquo
Judicio, duplici ligno ſuffixus obivit.
Nam qualem (hic vero ſubdebat) te, bone Jeſu,
Ora, artuſque omnes lacerum, ſpinis & acutis
Tempora compunctum, rigidiſque pedeſque manuſque
Pertuſum video clavis! Ubi nam illa decora
Caeſaries? ubi nam illa ardentia lumina, ſol &
Unde ſuos ignes Phoebe, & vaga ſydera habebant?
Ut clauſa! ut nigris eheu ſuffuſa tenebris!
Concreto ut totum turpatur ſanguine corpus!
Ten voluiſſe Pater tot dura, indignaque ferre
Pro nobis? ſumma o ſummi miracula amoris!
Flebiliuſque hic carmen erat: ceſſabat & inter
Saepius haec frater, tergebat lumina, credo:
Nam viſi gemitus noſtras accidere ad aures.
Ab. Sed ſatis haec: mulctrae namq; inſtat tempus. Pa. Eamus.

ELE-

E L E G I A I.

PEr maria, & terras longis erroribus actus
  Poſt ſeptem demum luſtra revertor, & o
O quam te cupide, quam avide, ex animoque reviſo,
  O patria, o noſter, patria, dulcis amor!
At qualem heu video, & quantum te, patria, ab illa
  Mutatam, populo quae fueras celebris,
Ardua quae fueras domibus, quae turribus altis
  Conſpicua, & cultu pulchra hominum nitido!
Nam quid te ſceleris tantum admiſiſſe putarim,
  Cur mole iſta digne opprimerere mali?
Squallida, ſenta ſitu, vaſta, & deſerta, ruinis,
  Heu dolor, heu pietas! pene ſepulta tuis.
Eccui nam tantum licuit de te? anne tyrannos
  Infelix iterum paſſa Syracoſios?
Militiamve trucem truculenti praeſidis illam,
  Romani faecem, propudiumque popli,
Rurſum experta? aliquis ſolvit vel carcere fratres
  Daemon Phlegraeos in tua damna malus,
Oton, & Enceladum, Rhetum, validumque Mimanta,
  Atque minaci ipſum Porphyriona ſtatu,
Ceumque, Japetumque, immani & mole Typhoea;
  Docti qui montes montibus extruere,
Pelio Oſſam, Oſsaeque virenti vertice Olympum,
  Urgebant caelum vellere cardinibus,
Praecipitemque Jovem ſolio exturbare deorum,

Atque

Atque hominum Regem, & ſidera disjicere?
Ah! ſenſi modo: non aliquis Dionyſius, & non
Aut te Pleminius, Pleminiique cohors,
Non & Terrigenae conferti: Terrigenarum
Unus te miſeram perdidit ille male,
Qui Inarime excuſſa, fuerat quae impoſta ſuperbo,
Ulturus Phlegram, litora nota petit
Auſoniae propere; Aeſopemque adgreſſus in ipſo
Adventu primo funditus eruere,
Impoſiturus eum Melio, Aeſopique propinquos
Poſt alios montes, inſuper atque alios;
Ut primo inceptum urget opus, pellitque, quatitque,
Omnem jam jam te, patria, diſpulerat,
Ni Vaticana qui regnat in arce, tuliſſet
Tempore praeſentem Jupiter almus opem.
Ergo illum ſceleri inſtantem pater ipſe nefando
Deterret tonitru protinus horriſono:
Tum trifidum contorquens telum, infigit acutis
Picentum ſcopulis. i modo, temne deos.
Ut pater omnipotens, cujus, Benedicte, procuras
Omnes aſſiduus nomine res hominum,
Det facilis ſemper quae tu vis omnia, teque
Det nobis longum ſoſpite poſſe frui,
Talia qui perdis portenta, & monſtra per orbem,
Et nos qui tali denique peſte levas.
Et ſane fuerat noſtri hoc inſigne doloris
Solamen, fateor, ni tua damna ſuper
Eſſent, o patria, & clades vaſtaeque ruinae.
Quod Pater ipſe etiam proſpiciens animo,

Undique conquirit mortalem ex millibus unum,
Quem tibi praesidio det miserae proprium.
Nequicquam datus ille tamen, crudelia quando
Fata unum nobis ocyus extulerunt.
Heu dolor, heu populo nimis invida fata Locrensi!
Eheu fata meis invida deliciis!
Tu mea, tu moriens tecum aufers gaudia, amice,
Locrorum & tecum est paene sepulta salus.
Sed stultas hominum mentes, & pectora caeca!
Ecquisnam nobis amplius esse boni,
Bozone extincto, speraret? Scilicet ipsis
Haud sumus invisi nos adeo superis,
Nec nostri est adeo pater optimus immemor ille,
Sceptra pios omnes qui tenet in populos,
Neglectos uti nos habeat. Ex omnibus ergo,
Quotquot alit magnos Itala terra viros,
Qua late pelago supraque & cingitur infra,
Unum dat fortem magnanimumque, modus
Et cui sit rerum, rebus spectatus in ipsis,
Sincera & pietas, castaque relligio,
Atque, uno ut dicam verbo, omni laude probatum,
Cujus sit nostri propria cura gregis.
Ut Benedicte tibi quæ vis dent omnia divi,
Humani spes, & delicium generis,
Talia qui mactas monstra, & portenta per orbem,
Quique Locros tali præside nunc recreas.
Et sane haud alius cives par rebus egenis
Nostris, non alius, non nisi Caesar erat.
Nullius & fuerat tantas sarcire ruinas,
Ni magni magnum Caesaris illud opus.

Ergo virum tantum, tantis virtutibus aeque
  Ac factis clarum, jure avido ſtudio
Opperiebamur: jure ergo illum advenientem
  Tanto cum plauſu, cum ſtrepitu ac fremitu
Excipiebamus, jure & nunc denique mente
  Tanta, illo excepto, gaudia concipimus.
Nam veluti longe deductus rivus aquarum,
  Aut veniens caelo candidus imber, agros
Arenteſque herbas, uſſit quas Syrius ardens,
  Enectumque ſiti recreat omne pecus;
Aut veluti ſilva in magna ſi forte viator
  Deflexit recta de regione viae
Imprudens, ſeque in ſaltus ac luſtra ferarum
  Induit, & jam jam nox tegat atra diem:
Erranti paſtor, ſive armentarius illi
  Obvius unus eat tunc cito, opemque ferat;
Sic ſummo adveniens noſtro nunc tempore, Caeſar,
  Unus opem nobis auxiliumque tulit.
Ille velut nobis demiſſus ab aethere, rerum
  Multarum prudens, eloquioque potens,
Sanctis hanc iterum formabit legibus urbem,
  Illam iterum ſanctis moribus inſtituet.
Ad decus ad laudem o quantum tibi, patria, & ille;
  O tibi quam facilem ſternet ad aſtra viam!
Aſpice uti demum longo poſt tempore greſſum
  Huc Aſtraea, deum progenies, retulit:
Plurimum erat ubi cum juſtis vitaeque magiſtris
  Olim illis, illo & flore hominum veterum,
Gyptio, Onomacrito, Timare, Stenidaque, Zaleucoque:
  Atque una ut rediit pax, pudor, & pietas!

For-

Fortunata! novus qualis tibi naſcitur ordo
  Nunc rerum, quanta & ſunt tibi nata bona!
Haud ſceleri pretium hic ullum amplius: exploratæ
  Virtuti ſed enim praemia digna manent.
Et jam jamque tui juſtos tibi, patria, & illos,
  Quos dixi, hoc noſtro praeſule, patre, duce,
Atque illos referent, quorum ſapientia vel nunc
  Tanta celebratur, Xenonas, Euticrates,
Timaeos, Cetos, Acriones, Philodamaſque,
  Et queis pro Chriſti relligione cruor
Intrepide fuſus, multumque exercita virtus
  Aras tot paſſim, templaque demeruit.
Provecti atque utinam mihi divi hoc protrahere aevi
  Dent faciles, poſſim quo bona tanta frui
Una vobiſcum, cives, & gaudia veſtra
  Gaudere, & magna, & perpetua, & propria.

E L E G I A II.

Quod felix fauſtum fortunatumque, Locrenſes
  Cives, ſit vobis, ſit mihi, ſit populo
Noſtro, ſas coetu nunc ecce coire frequenti,
  Atque iterum magnum concelebrare diem,
Quo pater ipſe die ſacrorum eſt Caeſar inunctus
  Rex, datus & populo rite Peluſiaco.
An non vos illum laetum fauſtumque habeatis,
  A quo ſunt nobis omnia nata bona?

Aſt

Aſt ego vel mediis pelagi ſi verſer in undis,
  Siccae deſerto litore vel Lybies,
Sacra memor ſemper tamen haec, & vota quotannis
  Exſequar: & multo thure onerabo focos.
Atque utinam nitidae primus calor ille juventae
  Eſſet, qua cordi mi citharæ, & choreae:
Qualis eram Tyberis quondam flaventis ad undam,
  Ad juga vel noſtri Parrhaſii nemoris:
Ut, paulum abſterſis mihi quas creat uſque Cleanor
  Abſens ſpinoſis ſollicitudinibus:
Cura Cleanor, amorque meus, quem docta moratur
  Intentum Sophiae Parthenope ſtudiis:
Me nunc complentem audiretis compita cantu,
  Nunc pede pulſantem conſpiceretis humum!
Sed bene habet, noſtrum quod prima videmus adeſſe
  Paſtorum, Phociſcum, & Menoeta meum,
Eurythumque bonum, tantoſque ex ordine vates,
  Carmina queis cordi, queis choreae & citharae.
Vos, vos ergo meam veſtramque vicem, aethera cantu
  Nunc complete boni, nunc agitate choros.
Et laeti fauſtae bona dicite verba diei,
  Qua bona ſunt nobis omnia nata die.
Concita non illam ventorum flabra, ſonori
  Non imbres turbent, aut nebula ulla tegat.
Nec paulo gravior rapido ſol urat ab aeſtu:
  Laetior aſt cunctis una diebus eat;
Unaq: fauſta magis, magis exſpectataque, quicquid
  Inceptare boni, aut perficere eſt animus.
Nec non & magni Clementis dicite, vates,
  Manibus o noſtri vos bona verba piis:

Quo

Quo rerum potiente, etiam ſua praemia laudi,
  Virtutique ſuus dignus honos fuerat.
Scilicet ipſe prior noſtrum hunc in regna vocavit
  Virtute ac factis fortibus egregium.
Unde ad nos illum ſummo poſt tempore noſtro
  Tranſtulit, huic urbi praeſidium miſerae,
Ille pater ſummus, caelum cui obtemperat ipſum,
  Quemq. horret Phlegeton, Tartareiq. lacus.
Quare & verba patri bona dicite vos Benedicto,
  Per quem nempe bono praecipuo fruimur.
Et longum vivat, Benedictus, dicite, longum
  Quo queat humanis addere rebus opem:
Diſcordes populos componere: latius omnem
  Et Chriſto errantem ſubdere barbariem.
Et felix vivat Benedictus, dicite vates,
  Et ſoſpes vivat incolumiſque diu:
Tempora ſecuri per quem tam laeta potimur,
  Et ludos per quem ludimus innocuos.
Tum longum noſter felix, longumq. ſuperſtes
  Denique ſit Caeſar, dicite, noſter amor.
Spes & amor noſter Caeſar, quo ſoſpite Locri
  Nil omnino mali, quod vereantur, habent.
Illo quin Locri ſalvo incolumique, quod uſquam eſt
  Quippe boni, ſibi quod polliceantur habent.
Huic ergo, vates, bona dicite verba diei,
  Omnia qua nobis ſunt bona nata die.
Hac vos ergo die bona fundite carmina, vates,
  Et laeti fauſtum concelebrate diem.

ELEGIA III.

NEmpe Patri magno noſtrorum eſt cura, gregales,
Et pudor, & pietas, caſtaque relligio,
Simplicitaſque olli, & mores arteſque probantur
Noſtrae, quum puncto temporis inſtabiles
Res ſtabilit noſtras, caſum jam jamque minantes.
Occideramus enim, ni tetuliſſet opem
Qui caecas cordis latebras introſpicit unus,
Ac ſceleroſa hominum frangere conſilia
Stultorum potis eſt. Ergo huic bona dicite verba,
Unde eſt, o vates, omnibus omne bonum.
Nimirum poſito tandem converſa furore
Omnia jam ſunt, curſu obvia quae fuerant:
Nec noſtram caelique irae, pelagique timendum eſt
Ne parvam jactent, disjiciantque ratem,
Quando gubernator divinitus obtigit, alto
Majora expertus ducere navigia.
Qualem non poterat ſibi ſpe praeſumere quiſquam,
Non poterat votis fingere. Dicite io,
Dicite io, ſocii, viridi & mihi tempora fronde
Cingite: nam exſultans pectore laetitia
Me luſu jubet ingratis, choreiſque, jociſque
Indulgere ſenem, carminibusque novis.
Magna peracta, viri, res eſt, dis gratia. noſtris
Haud quiſquam poſthac imperitabit agris

Mu-

Muſarum ſtudiis averſus barbarus hoſpes,
Qui ſeſe plenus deſpiciat reliquos;
Ac gentem, & mores melioribus exprobret excors;
Sed noſter, noſtro ſanguine cretus homo;
Cui res ampla domi, domus ipſa magiſtra pudoris
Magnorumque eadem magna virum genetrix,
Ingeniique adeo bonitas, virtutis apertam
Ac facilem ſtrarunt ad juga celſa viam.
Non huic deliciae puero, non otia cordi,
Verum doctrinis, artibus atque bonis
Cura fuit formare animum, nullique labori
Parcere, virtutis quo citius ſpatia
Omnia conficeret; currentique aemula fratrum
Laus, vigil & genitorum pia ſedulitas
Addiderunt ſtimulos. Atque hinc prudentia major
Annis illa fuit, caniciesque animi
Praecox: facundaeq. hinc illa opulentia linguae,
Quae auditorum aures duceret attonitas.
Nam quid ego memorem, juveni poſt additus omnem
Ad laudem, qualis, quantus & ille fuit,
Ille ejus doctor; cujus magno abſque dolore
Atque piis lacrimis haud meminiſſe queat,
Principe ſit quicunque viro ſemel uſus amico,
Sicut & uſus ego, tempore ſed modico?
Scilicet heu nimium celere caeleſtia nobis
Numina praereptum te voluere ſuum,
Philamarine pater, noſtra aetas ne foret uſquam
Unde ſuperbiret, deſpiceretque alias.
Quam tibi, quam vellem, vitae mage longa ſorores
Stamina neviſſent! tu quoque magna chori

Hujus pars eſſes, ſperaſſem, laetitiamque
  Expleres noſtram, Hermocratiſque tui,
Noſtrorumque hominum; tantoque ſuperbus alumno
  Maxima nobiſcum gaudia nunc caperes.
Nec vero ulla tuum haud tentarent gaudia pectus,
  Quamvis & fortis magnanimuſque fores,
Vivere ſi liceat, ac cernere tam tibi carum
  A nobis habitum tanto in honore caput.
At te quis divis unquam magis uſus amicis,
  Hermocrate o noſter, cui meruiſſe datum
Eſt duce ſub tanto tam longo tempore, & artes
  Egregias ſacrae diſcere militiae?
Sed neque ſemiferi nomen Chironis, Achille
  Olim educto, aeque claruit, atque tui,
Te educto, aeternum clareſcet Philamarini
  Fama recens; nec enim nos patiemur, opus
Illius ut faciat in nomine aranea putre,
  A quo ſunt nobis tot modo nata bona.
Jure ergo nobis praeſumpſimus omnia laeta,
  Omnia fauſtà, aures laetus ut ille avidas
Nuncius implevit, aliud te prorſus agentem
  Praefectum noſtris rebu' fuiſſe ſacris.
Ergo & jure tibi primum ad nos advenienti
  Sedibus ipſa ſuis urbs quaſi vulſa Locrus
Advorſum venit, humeriſque velut ſublatum
  Intulit ad ſeſe, laetitia exſiliens.
Nam qui nunc fremitumque hominum, plauſumque jocumq;
  Qui bombos tantos, aeraque pulſa manu
Omnia quot pendent templorum e turribus altis,
  Conſtrataſque vias fronde nova, & titulos

Atque arcus referam, ningentia & alta domorum
  Floribus, haec quando attendere non potui,
Unus quum trabea mitraque insignis & auro
  Hermocrates, similisque os humerosque Deo
Nostrorum ad sese raperet mentesque oculosque,
  Candenti ingrediens conspiciendus equo?
Haud aliter curru, credo, sublimis Ioseph
  Incedebat ovans urbe puer media,
Isacidae magni proles, ab rege secundum
  Illum dum praeco praedicat ingeminans.
Laxior olli humero, grandi quam fibula gemma
  Aurea subnectit, byssina ad usque pedes
Dependet stola, depicto circumdata limbo;
  Et collo torquis regius impositus;
Regius & digito simul inditus annulus aureus,
  Quos sibi detractos rex dat habere homini
Servatori hominum: nam sic vult dicier illum,
  Per quem sit Phario parta salus populo.
Fortunate nimis juvenis, rerumque potentis
  Cura & amor patris, sic bene cuncta cadunt
Cui ex animo. Fratrum tibi nil odia aspra tuorum,
  Spretaque nil falsis uxor herilis obest
Quidquam criminibus, superent quin fata, viamque
  Inveniant facilem, perque ea quae obstiterint.
Quamlibet e medio obdurent te tollere fratres:
  Quamlibet in puteum praecipitem ejiciant,
Suspendantque, fame atra jamjam conficiendum:
  Quamlibet & duro denique servitio
Insontem damnent, ac talia nulla merentem,
  Dum vano expediant livida corda metu,

Ne dominum fratrem accipiant aetate minorem,
  Cui fraterna adeo crimina diſpliceant.
Namque volente Deo, te denique oportet adorent,
  Et fidei ſeſe praeſidioque tuo
Vitam committant; aequus quos accipis omnes
  In fortunarum praecipuam miſeros,
In regnique tui partem: populumque beatum
  Condis, parta ſalus unde hominum generi.
Noſtra ergo o nobis gratemur tempora, cives,
  Sacrorum Antiſtes quum datur unus, opem
Praeſentem ferat afflictis qui denique rebus,
  Et qui nos omnes ſervet ametque ſuos:
Nullaque cui placeant maleſacta, aequique bonique
  Cultori. Quare praemia nemo bonis
Debita, ſeu capite obſtipo, ſeu pectore poſthac
  Ignavus tunſo praecipiet facile.
Nilque animi falſis, nil dehinc techniſque, doliſque,
  Perfidiaeque loci. Peſtis & illa procul,
Hinc procul illa ibit peſtis, quae quod mage honeſti,
  Quodque magis ſancti eſt foedat, avarities.
Noſtra ergo, o cives, felicia tempora nobis
  Gratemur. divumque ipſum, hominumq. patrem
Oremus, nobis eadem haec felicia longum
  Tempora det facilis, perpetuoque frui.

E L E G I A IV.

NOMINE CLEANORIS PALLADIACI.

QUod me ſignantem prima vix ora juventa,
Ignotum, ignavum, nullius & pretii,
Nominis in partem veſtri, veſtrumque ſacrorum
Ultro tam faciles, Arcades, accipitis;
Id mihi pergratum eſt, perjucundumque, placere
Me quoniam vobis ſentio, Phoebus amat
Quos pater, Aonidumque cohors dilecta ſororum,
Quos & amant omnes, ſuſpiciuntque boni.
Aſt ego fortunae tot merſor fluctibus, ut ſpes
Nulla emergendi vatis ad exiguum
Vel ſaltem nomen ſuperet mihi, munere veſtro
Quo tanto poſſim, judicioque frui.
Nec juvat aut ſcriptis Grajorum, Romulidumque
Inſtare aſſiduum; floriferis & apes
Omnia uti limant in ſaltibus, omnia ſic me
Illorum depaſci aurea dicta avide,
Et ſervare meo ſtudioſe in corde repoſta.
Nam nihil eſt, quando me mala Pauperies
Obſidet: haec noſtris magnis conatibus obſtat:
Una mei haec vires paſcitur ingenii.
Cui tamen ut poſſim nitens obſiſtere contra
Viribus, ut fortem magnanimumque decet,

Anne etiam quae pone ſubit crudelis Erinnys,
  Quaeque caput quaſſans, me miſerum trucibus
Unum oculis deſignat atrox, ac eminus uſque
  Territat, hanc contra ſtare miſer valeam?
Haud equidem valeo; illa etenim, nec fallor, Egeſtas
  Eſt: novi faciem, novi etiam comites,
Et genus, & mores novi: ſata Nocte, Ereboque
  Pannoſa eſt, rugis aſpera, ſicca fame.
Tum quaſſo horrendos ſonitus ciet illa flagello
  Effera, torva tuens, imperioſa, minax.
Agmine quam longo ſectantur, devius error,
  Et Dolus ipſe malus, Fraus mala, & Improbitas,
Eſuries, Sitis, ac ſtimulans Irriſio, & Aegror,
  Et Dolor, & Queſtus, & Lacrymae, & Gemitus,
Tum Morbi, & vigiles Curae, tum denique nigra
  Mors, heheu Mors, quam mi nigra, & horribilis!
Quam grave Pauperies pondus, quam ſaevus Egeſtas
  Heu timor, heu viſu terribiles facies!
Haud potis Alcidem tantis, ac talibus uſquam
  Euriſteus durus ſuppoſuiſſe malis:
Quamlibet & Nemaeus opus magnum Leo, & Hydra,
  Harpyaeque truces, & Diomedis equi
Naribus efflantes ignes, & janitor Orci,
  Ac tot victa manu monſtra alia atque alia;
Ut non aerumnis, aerumnas illius omnes
  Ipſe meis vincam, cui mala Pauperies
Imperat, & longe gravior minitatur Egeſtas
  In noſtrum jam jamque, irruitura caput.
Nam quid dulce mihi in vita, quid amabile, peſtes
  Hae geminae eſſe ſinunt, quidve boni reliquum?

Non trochus, aut pila me, non talus, non cavus arcus,
  Non viſcus, non me retia rara juvant;
Non citharae cordi aut choreae, non daedala cantu
  Carmina, non mimi, non joca, non epulae.
Tempora quidquid habent anni, ver quidquid & aevi
  Fert noſtrum, quidquid fors & amabilius,
Mens animi id totum mea faſtidit, reicitque,
  Quae mala tanta timet, quae mala tanta dolet.
Quod cum ita ſit, nolim, noſter Miraeae, maligne
  Me feciſſe putes, aut minus ingenue,
Si nimio plus ac decuit, fortaſſe, canendi
  Ipſe meam ſprevi, deſeruique vicem.
Sane ego jamdudum facerem ultro, copia tantos
  Si foret angores exſpuere ex animo:
Cum laudis quoque ego tangar dulcedine, alumnas
  Et pulchras Phoebi deperеam ipſe quoque.
O mea ſi tandem pietas me, relligioque,
  Et vitae integritas, & benefacta juvent,
Atque mihi Deus omnipotens animum det habere
  A tantis vacuum ſollicitudinibus:
Ut veſtris ego preſſa legens veſtigia plantis,
  Ingenioque potens, quod mihi jam trepido
Amplius haud rerum, dubio procul augeretur,
  Ad juga perveniam, mox AEliconis ovans,
Caſtaliiſque trahens magnos de fontibus hauſtus
  Vel paucis impar vatibus unus ero!
Dulcia quin veſtris audax mea dulcibus addens
  Carmina carminibus, laetus & ipſe canam.
Non ſecus atque gravi defuncto laeta periclo
  Daulias arguto gutture cantat avis.

Illam nam perhibent, ſi quando ſub arboris umbra
  Ad terram propius ſedula pervolitet
Quaeſitura ſibi, natis vel dulcibus, eſcas,
  Et forte e viridi gramine conſpiciat
Colla attollentem colubrum, torviſque tuentem
  Seſe contra oculis, ilicet attonitam
Horrere, auxilium ut nequeat ſibi quaerere ab alis,
  Praeſenti & fugiens ſe eripere exitio:
Quin ſe jactantem huc, illuc, ac multa dolentem
  Anguineas demum praecipitem cadere
In fauces. Miſera! heu, miſera! en quonam impia facta
  Te tua compulerunt! en datus eſca patri
Infelix puer! en tua mens caeca, iraque praeceps!
  En furiae! en vindex nunc tibi & ira deum!
An tibi par viſum, natum praeſtare parentis
  Culpam, ejuſque vicem pendere ſupplicium,
Illius ut conciſa, dapem, vos membra daretis
  Tereo, crudeles tuque ſororque tua?
Scilicet, ah, nimium flos virginitatis ademptus
  Te urebat, ſentio, meque tui miſeret.
Tu tamen omnino vivo condere ſepulchro
  Viva, nec inſtanti te excidio poteris
Iam miſera eripere, externata pavore, & ocellos,
  Ac mentem viru ſaucia letifero.
Sed bene habet. venit haec ſuper improviſus, &, euge!
  Tempore fert volucri paſtor amicus opem.
Ocyus ergo fugam proſerpens beſtia carpit:
  Nequicquam: duro nam ſemel atque iterum
Icta caput baculo, ſqualentia terga reſolvit,
  Et moriens, tabo plurima ſpargit humum.

Ut tibi dii faciles quae vis dent omnia, paſtor,
  Et quiſquis miſeris fert bonus auxilium.
Ut faciles divi fortuna denique eadem
  Uti mi donent, ac avis exiguae.
Quae nunc mente ſtatim prima, primiſque receptis
  Viribus, emiſſum non ſecus atque habili
Ex arcu telum, liquidum ſecat aera pennis,
  Arboris & celſae vertice tuta ſedens
Perſultat victrix, oculoſque animumque jacentis
  Explet nunc hydri ſanguine, nunc hominis
Tam bene promeriti cara dulcique figura:
  Nunc canit & ſuaves incipit ore modos.
Illa canit: ſociae reſpondent; cantat & illa
  Ingeminans: doctae cuncta iterant ſociae.
Nec mora nec requies, cantu late omnia miſcent
  Circum rura, & agros, & nemora, & ſcopulos.
Laetantur ſubita tactae dulcedine Nymphae
  Pectus, & obliti paſcua laeta greges.
Omnes at vero paſtor magis omnibus ille
  Unus laetitias concipit ultor avis;
Quem ſolide egregii oblectat conſcientia facti;
  Quod magnae eſt unum magnum operae pretium.
Carminis hoc noſtri munus penſumque, gregales,
  Curavi vobis, ut potui melius:
Miraei fugerem vecors ne juſſa magiſtri,
  Muneris & veſtri gratia nulla foret;
Qui in partem veſtri me nominis accepiſtis
  Ignotum, ignavum, nullius & pretii.

ELEGIA V.

ERgo modum nullum facies tu denique luctu?
  Nulla ergo accepti pauſa doloris erit,
Arcane? Ecquando tete excruciare, gregales
  Atque tuos perges, meque adeo miſerum,
Omnia cui tecum jam ſunt communia dudum,
  Nec poſſum ipſe tuo non gemitu ingemere?
Sunt ea magna quidem, ſimul et veriſſima juxta,
  Quae tu flebiliter de juvene eximio
Fratre tuo memoras. nemo jucundior iſto
  Alter erat, ſic eſt, aut melius Charites
Cui vellent, caeleſteſque omnes tot mutua divi
  In quem tam large munera contulerint.
Nam monſtri id ſimile, ajo & ego, ſolertia rerum
  Admirandaque in hoc vis juvene ingenii.
Quare illum clari deflerint jure propinqui;
  Quin urbs noſtra fleat, mater & uſque fleat,
Unanimeſque fleant fratres licet atque ſorores,
  Mortaleſque omnes, dum datur hiſce frui,
Munere quas divum vitales paſcimur auras.
  Aſt, Arcane, quidem noſtra alia eſt ratio.
Haud etenim nobis, quì veri unius amore,
  Non venti cauſa, Palladis egregias
Artes ſectamur, nobiſque addiſcimus unis,
  Quae praeſtare unquam vulnera nemo queat,

Lamentanda, ſed illa ultro quae admittimus ipſi:
  Quod genus eſt noſtrae nunc patriae excidium.
Namque patrum vitio faciat licet illa ruinam,
  Eſt ibi noſtra etiam plurima culpa tamen.
Divitiis illi, ac luxu faſtuque ſuperbi
  Sanguine perfuſas in ſua damna manus
Dum vertunt, totam ſpargunt & caedibus urbem,
  Rem perdunt publicam funditus atque ſuam:
Quin ſeſe perdunt ipſos, aut funere merſi
  Crudeli, aut acti vertere ſponte ſolum.
Scilicet ex illo patria haec viduatur in horas
  Civibus: ex illo tecta ſonore gravi
Horrificoque cadunt late, noctuque diuque;
  Et fora pulchra cadunt, moenia & alta cadunt,
Aeriaeque cadunt turres, templiſque caducis
  Paſſim diffugiunt numina ſancta deum.
Jamque manus dudum ex illo poſcentibus agris,
  Deſunt, noſque fames & mala multa premunt.
Nam novus hanc hoſpes faciem quis viderit urbis
  Infortunatae, temperet & lacrymis,
Atque caput quaſſans non haec verba inſuper addat?
  Haeccine magna potens urbs ea dives opum,
Olim quae populis tot magnis imperitavit,
  Primaque eos ſcriptis legibus inſtituit?
Quae validas circum tot condidit, atque colonis
  Arces firmavit hoſtibus oppoſitas?
Haec Locrus eſt? genitrix ea tot foecunda virorum,
  Quorum etiam laudes fama ſuperſtes alit?
Illa autem nunc ruderibus malviſque ſepulta,
  Urticiſque, ſuper tertia quaeque domus

Vix, Arcane, eſt, atque eadem quae aeate, ſituque
  Feſſa ſit interitum non ſubitura brevi.
Tuque mihi doleas unum modo funus acerbe
  Germani fratris, quotidiana tuae
Funera non doleas patriae, quaſi prorſus agatur
  Res nulla hic noſtra, aut nullius illa preti!
Merce gravis, multis gravis & vectoribus, undis
  Verſatur mediis navis in Ioniis;
Quae licet adverſis jam tempeſtatibus uſa,
  Iratiſque diu caelitibus fuerit,
Haud tamen in tanto eſt unquam verſata labore,
  Infelix, quanto fungitur ipſa modo.
Collectis gravidae nimbis, atque imbribus atris,
  Confertaeque obſcura omnia nocte tegunt
Eripiuntque diem nubes, rabidi quibus Euri
  Caurique truſis vi valida & laceris,
Effuſi erumpunt imbres: ſalis aequora plangunt:
  Undae concurrunt: debilis illa ratis,
Et carioſa: animis diſcors juſſiſque reſiſtens
  Navalis turba eſt: rector iners, fatuus.
In navi ſumus hac omnes nos, noſtraque; num tu
  Hoc caelo, hoc pelago, navigioque putri hoc,
His nautis ducibuſque, putas, clavique magiſtris,
  Coeptum nos curſum poſſe tenere diu?
Actum de nobis, noſtriſque eſt denique rebus,
  Praeſenti omnipotens ni Deus auxilio
Adſit, & aerumnas miſeratus denique noſtras,
  Duros heu nimium molliat ipſe animos;
Tuque, tui & faciat ſimiles quot mente vigetis,
  Judicioque eſtis conſilioque boni,

Ut nobis tandem , vobisque velitis adesse,
Accipere & curas in patriam patrias.
Laudibus ergo tuis possit quod deesse videri
Tot, Michael , unum naviter adgredere
Hunc demum nobis magnum, navare laborem;
Ex animoque foras exspue quidquid adhuc
Est aegri praematura tibi morte receptum
Germani fratris , quamlibet egregii.
Nec deflendus enim summi qui munere regis
Privoque, ante diem praemia tanta ferat
Militiae, vix tiro, sua sine parte pericli,
Ac regni consors accipiatur ovans.
Quin juvenes plerosque fleas tu verius hosce
Nostros spe nulla , ac re tenui , & misera,
Ignaros, ignavos, quorum est mortua vita ,
Et gratare tuo tot modo adepta bona;
Ardua qui caeli nunc occupat, aeternamque
Ingressus vitam, coetu epulisque deum
Perfruitur, ridens nostra haec vanissima rerum,
Quae tanta stulti primaque nos facimus.

IN PASSIONE DOMINI

CARMEN ANNALE.

QUod tua ſumus in fide, 1
Chriſte, præcipue, accolæ
Locrorum Arcades, annua
Nunc tibi ex animo ſacra
Die hac rite novamus.
Qua die faciens Patri, 2
Humanum ſuperis genus
Inviſum ſcelere expias
Ad aram crucis, hoſtia
Unus, atque ſacerdos.
Hunc ergo vacuum tibi 3
Exſtructum tumulum aſpice,
Dive, funereis tegit
Arbor quem nigra frondibus,
Feraliſque cupreſſus.
Munera & bonus accipe 4
Sola quae tenues queunt
Paſtores dare: muſicos
Modos ſcilicet, ubere &
Sparſa carmina fletu.

Muſarum nec enim bonas 5
Artes tu negligis quidem,
Qui tot grandia fuderis
Saepe carmina de ſacro
Vatum ore tuorum.

Paſtorum neque enim genus 6
Non gratum tibi, dulceque
Nomen; dicere ſaepius
Qui tete ſolitus bonum
Paſtorem eſſe ferare.

Verum quis valeat tua 7
Fando triſtia perſequi,
Chriſte, funera? quis graves
Et ignominias queat,
Exhauſtoſque labores?

Haud ego, haud alii putri 8
Hoc compacti homines luto;
Non ipſi ſuperi, reor,
Aerumnas valeant tuas
Tot tantaſque putare.

At omnino aliquid vicem 9
Canendum tamen eſt meam,
Vel flendum potius mihi,
Nam fletu mage nunc opus
Eſt, quam carmine molli.

Et vero ſine lacrymis 10
Quis unquam niſi ferreus
Sit, lucem hanc memorabilem
Tranſigat, tua qua dedit
Te gens effera letho?

Jam-

Jamque amara aderat prope 11
Hora, & more tuo hortuli
Secretum, Pater, ultima
A coena tacitae petis
Per ſilentia noctis.
Quis hic te pavidum metu 12
Cernat, aſpera cogitas
Dum tot, quae ſuperant mala,
Et fletu abſtineat genas
Irrigare tepenti?
Quis te magnanimum ad Patrem 13
Orantem videat, genu
Lapſum, ſanguineo & ſolum
Sudore irriguum tuo,
Lacrymis ſine multis?
Quis non & gemitus edat 14
Moeſtos, quum ſubito a tuis
Deſertum, ac manicis gravem
Spectet fraude mala rapi
Proditoris amici?
Quis porro gravia omnia 15
Per noctem Caiphae ad domum
Quae paſſus, ſatis explicet?
Heheu quot miſerum modis
Hic te plurima ludunt!
Hi infringunt colaphos: ſacrum 16
In os hic alii ſpuunt:
Hic vellunt alii comam,
Ac barbam tibi; verbaque
Addunt multa pudenda.

Hinc Praetoria ad ardua 17
Pilati trahere: & malis
En tibi gravida in caput
Tempeſtas recidit nova ,
Foediorque priore .

Hic uſtus miſere flagris, 18
Hic luſus chlamyde in rubra ,
Sceptrique inſtar arundine:
Hic circumdatus aurea
Spinis tempora acutis.

Hic fur & latro dignior 19
Inventus venia : cruci
Tuque addiceris innocens :
Nec virtus tua te, neque
Tot tegunt benefacta .

Nam quae ſunt odia haec tua, 20
Gens Judaea, uti ſanguinem
Sic fratris ſitias, nihil
Qui in tete ſceleris, Deum aut
Ipſum, admiſerit unquam?

Aut quis hic ſtupor eſt tuus 21
Ipſum olim patribus ducem
Tuum, quem cupide cupis,
Promiſſum, haud modo cernere
Signis tot manifeſtum ?

Irato quis enim mari, 22
Turbidiſque Aquilonibus,
Morbis atque rapacibus ,
Ipſiſque imperet inferis,
Si non ille Deus ſit ?

Et vos, vos hominem Deum 23
Letho traditis. & Deus
Homo, non alius quidem
Pro nobis faciat fatis,
Claufum & pandat olympum.
At tu, Chrifte Pater, volens 24
Qui mortem oppetis, ut patrum
Antiquo ab fcelere abluas
Nos, da participes tui
Tanti muneris effe.
Da, fi fimplicitas tibi 25
Paftorum, & ftudia placent
Noftra, praefidio frui
Tuo, & hoftium impetus
In nos frange malignos.

IN ASSUMPTIONE B. M. V.

CARMEN ANNALE.

DIva, quae aerios colis
Locros, te canimus novi 1
Locrorum Arcades accolae
Paftores: quoniam fide
In tua fumus omnes.
Siquidem, Dea, canticis 2
Gaudes, & canere optima
Tute es: nofque operam facris
Mufarum ftudiis damus,
Canticifque, chorifque:

Siquidem, & Dea, plurimum 3
Te montana ſilentia
Juverunt ſemel; & juvant
Montium alta cacumina
Nos, ſanctique receſſus.
Adſis, & pede dextero 4
Haec adi facilis ſacra,
Prima, quae tibi ſolvimus:
Noſque, dum canimus, tuo
Sancto numine adimple.
Sed quid vult ſacer hic ſibi 5
Horror tam ſubitus meus!
Adeſt, ſentio, adeſt Dea.
Illi nos igitur novos
Inſtauremus honores.
Tuque Anaximene o pater, 6
Rex o tu pater optime
Sacrorum, eja age, maſcula
Adde thura calentibus
Aris, & pia ſarra.
At tu, docte puer, cavam, 7
Illo quae tacita ilice
Dependet, rape fiſtulam, &
Impares calamos, age,
Unco excurre labello.
Voſque, o, carmina jungite 8
Noſtris carminibus, boni
Paſtores: etenim decet
Quae ſolemnia ſunt ſacra
Noſtra, rite agitare.

Ordior: ſed enim lateri 9
Adſiſte, & mone, & adjuva,
Si quid deficio, o patri
Phoebo, & care ſororibus
Muſis, dulcis alumne.

Salve, diva Dei parens, 10
Diva virgo parens Dei:
Salve, o caelituum decus:
Salve, o hominum decus
Deliciumque ſaluſque.

Semen tu Patris Abrahae: 11
Tu Judae genus inclytum:
Tuque regia regii
Vatis progenies: tuæ &
Ingens gloria gentis.

Tu rerum domina omnium, 12
Potens aetheris ardui,
Nimborumque ſonantium,
Ventorum, & maris aſperi,
Terraeque omniparentis.

Namque te omnipotens pater, 13
Nutu qui omnia temperat,
Regni te ſociam facit,
Has terras ubi deſeris
Caelum ſcandis & altum.

O dies ea, laetior 14
Qua non caelitibus dies,
Non mortalibus extulit
Ulla caeruleis caput
Horridi e maris undis.

Qua die ſola deferens 15
Haec terrae, levis aera
Scandis, innumerabili
Stipata aligerum manu,
Caeleſtumque catervis.

Quanta gaudia dixerim 16
Tunc fuiſſe Patrum omnium
Principum, proavum omnium,
Matris, ac patris, omnium,
Verbo uno, Abramidarum.

Effuſa en venit obviam 17
Omnis illa tuæ cohors
Gentis, exſilit, & bona
Dicit verba tibi, caput
Te tollitque nepote.

Sed ſe praecipue efferunt 18
In tete mage feminae
Priſcae illae, & memorabiles:
Audis a quibus omnibus:
Prima gloria ſexus.

Illud aſt tibi dulcius 19
Sane eſt plus nimis, flagrans
Scilicet ſtudium tui
Gnati, qui facit omnia,
Quo te maxime honeſtet.

Atque en ille uti millibus 20
Auratis legionibus
Cinctus, obvius it tibi, &
Amplexus veteres petit,
Tendens brachia collo.

Tum prensam manu ad optimi 21
Maximi folium Patris
Siftit, qui omnia temperat,
Tellurem, & mare, & aequora,
Quodque continet Omne.
Quam petens Pater ofculo, 22
Lapfantem ad genua erigit,
Sede & collocat aurea :
Quam fubter vaga fternitur
Luna, & auricomus Sol.
Mox & flavo micantium 23
Biffenum diademate
Cingit tempora fiderum :
Ac magni fociam imperi
Reginamque falutat.
O falve ergo iterum: & piis 24
Da, virgo, omnia profpera
Cadant ex animo: & famem ;
Morbofque, & fera proelia
In fines age Thracum.
Salve, & hunc facilis tuo 25
Vatum praefidio tege
Coetum, meque adeo, facra
Nam faxo, annua non tibi,
Non & carmina deerunt.

IN

IN NATIVITATE DOMINI

CARMEN ANNALE.

ET te, ſancte puer, cano, 1
AEterni unigena o Patris
Gnate, quandoquidem Arcadum
Noſtrorum ſacra ſunt tua
Haec communia genti.

Paſtores etenim ſumus 2
Et nos, ſolaque montium
Silvaſque incolimus, levi
Paſtoralia ludere
Sueti carmina avena.

Paſtores & erant, quibus 3
Primis ſorte datum, recens
Natum viſere te, Pater,
Vagituſque tuos cavis
Delinire cicutis.

Multa nox erat, & ſilens: 4
Quique Bethlemios agros
Paſcunt, pervigiles gregi
Dum caveat, ſolito & ſua
More ovilia ſervant;

Ecce deſubito velut 5
Caeli pandier oſtia,
Lux & hinc fluere ignea,
Qualem haud plenior afferat
Luna, aut auricomus Sol.

Ecce

Ecce & lapſus ab aethere 6
Inſignis facie aliger
Nuncius , paribuſque ſe
Pennis aere ſuſtinens
Natum dicere te jam .

Spem tete Patris Abrahae , 7
Judaei populi ducem ,
Seclum & qui referas prius ,
Chriſte, virginis editum
Sancta matris ab alvo .

Ergo propterea ad ſpecus 8
Illud, quadrupedum domum ,
Quod Davidis ad oppidum
Monte ſub rapido patet ,
Convolent jubet omnes .

Namque adinveniant quidem 9
Involutum ibi faſciis
Eductum puerum modo
Conſtrato paleis ſuper
Te praeſepe jacentem .

Paſtores mage ſcilicet 10
Divorum alloquio invenis
Dignos ; & quibus unice,
Humanam ingrediens viam ,
Oblectere puellus .

Nam fides tibi candida , 11
Morum , & ſimplicitas rudis ,
Non fraus, & violentia
Urbanorum hominum, tumens
Aut ſuperbia cordi .

Non

Non Regum amplifica manu 12
Sic ſpectas data munera ,
Ut nos tenuia quae damus
Pauperes: adeo bonam
Mentem reſpicis aequus .
Quam gratae ergo tibi, ſacro 13
Quas antro intulerunt boni
Paſtores, inopes opes
Illae, caſtaneae, nuces ,
Et fragrantia mella!
Tum carcheſia candidi 14
Lactis plena, rubentibus
Et malis calathi graves:
Quidquid & ſolet annuum
Paſtor condere in uſum !
Quam porro ſubita adjuvant 15
Illa, parve, tuas mele
Aures! hic cava cymbala ,
Buxea hic crotala, hic manu
Tenta tympana pulſat.
Ille & impare fiſtulam 16
Conditam calamo, illeque
Alter multiforem excitat
Tibiam , hic cytharae ſonos ,
Hic amabile carmen.
Expectate diu advenis: 17
Promiſſique memor , fidem
En praeſtas bonus addiem.
O felicia tempora
Noſtra , noſque beatos !

Jam

Jam rerum exoritur novus 18
Ordo ; ſineque cladibus
Facto, ſervitio premet
Nulla barbaries genus
Poſthac Abramidarum.

Verſa quin Babylon vice 19
Rerum, Memphis & horrida,
Terrarumque mari undique
Quidquid clauditur, in tua
Ibunt jura volentes.

Tu cuſtos hominum : gregis 20
Tu cuſtos : nihil oppidis
Nunc clauſis homini, nihil
Nunc opus canibus gregi.
O nos quippe beatos !

Non gregi leo, non homo 21
Inſidias homini ſtruet.
Pax ubique, amor, & quies.
O felicia tempora
Noſtra, noſque beatos !

Haec illi. & ſimile Arcades 22
Ad tua offerimus pii
Nunc cunabula muneris,
Paſtoralia cantica,
Et agreſtia dona.

Quare & haec quoque munera 23
A me ſaepius, & meis
A gregalibus accipe
Laetus, inque vicem tua
In nos munera confer.

Tu noſtrum face torqueat 24
    Dira ne populum fames,
    Dira ne populum lues,
    Bella neu gravia ingruant,
    Noſtra & otia rumpant.
Tu me, Dive, tuo ac gregem 25
    Noſtrum, ſpemque adeo gregis
    Agnos, praeſidio adjuva;
    Denteſque inſidiantium,
    Quaeſo, frange luporum.

AD D. VENEREM

CARMEN ANNALE.

NObis quandoquidem ſacer 1
    Feſtus eſt Veneri dies
    Tandem redditus, & piam
    Noſtrorum aſpicimus manum
    Jam coiſſe frequentem;
Vates eja agite o boni 2
    Sertis tempora frondeis
    Velati, calamos leves
    Inflate, & nemus inſonet
    Cantu ſuaviter omne.
Dicenda eſt Venus aurea, 3
    Non ea quae Idalium regit
    Frondoſum, aut veterem Paphon,
    Piſcoſamve Gnidon, maris
    Nata fluctibus atris:

Sed

Sed quae dives Aletium, 4
Piſauri & juga florea,
Cytaeumque ferax, Locrum
Et ſuorum adeo volens
Altas incolit arces:

Quam provectior edidit 5
Annis Hippolyte, Padi
Nympharum una, ubi vitreus
Lene defluit, arvaque
Findit noſtra Novitus.

Vix in luminis editam 6
Auras, diva ſuo ſinu
Excipit Sapientia;
Immulgetque meri labris
Lactis ubera plena.

Tum caſto teneram locat 7
Lecto, qui liquidis fragrat
Caeli ſemper odoribus,
Ac apud ſe alit ut ſuam
Educatque puellam.

Hinc ea vis animi, hinc fides, 8
Hinc ea & pietas fuit,
Morumque hinc ea ſanctitas,
Veri & hinc amor, omnium
Et prudentia rerum.

Multos noſtra quidem tulit 9
Urbs olim Sophiae viros
Praeclaros ſtudiis, bonos
Et formare alios bonis
Multas legibus Urbes;

Multoſque egregiis item 10
Factis militiae, & domi,
Alto qui patriam polo
Aequarunt; tamen una eſt
Omnium Venus inſtar.

Quidquid Grajugenum ſcholae 11
Artium doceant, ſacra &
Quidquid utraque pagina
Sancti contineat, tenet
Omnes, proque ſatetur.

Ergo eam undique convenit 12
Diſcendi ſtudio excita
Ingens turba hominum; ad domum
Nemoque eſt, melior ſuam
Quin ſubinde revertat.

Non enim rigidas modo 13
Verbis tradere regulas
Virtutis placet: omnia
Sed quaecumque docet ſimul
Sanctis moribus implet.

Et jam caſta viro fidem 14
Servat ſanctius uxor, &
Florem virgo frequentius
Aetatis ſacrat integrum
Caeleſti innuba ſponſo.

Jamque juſtitiam colit 15
Quiſque civis, & omnia
Omnes officia in Deum
Implent, in patriam, & ſuos,
Ut peccent prope nulla.

Haec

Haec domi Venus hactenus: 16
Aſt longe a patria procul
Quae poſt grandia geſſerit,
Hanc habent vim, uti fortium
Vincant facta virorum.

Chriſti nomen in ultimas 17
Terras ferre, & amabili
Illius populos jugo
Certa ſubdere, nil timet
Mille adire labores.

Tu vero ſuperum patri 18
Virgo carior una, cui
Mentem eam pater addit: &
Cui tantos animos, pares
Et vires animis dat.

Non te dura viae movent, 19
Infidi inſidiae aut maris,
Non aeſtus, pluviae, nives,
Facta non hominum impia,
Rerum & mille pericla.

Quis vero queat aſpera, 20
Quiſque ſuavia dicere,
Quot tibi inſula Sicelis,
Quotque ora Auſonis utraque,
Ac gens Graja crearit?

Illa ſed ſuperant mala; 21
Illa ſed ſuperant quoque,
Virgo, plus nimio lucra,
Quae ſeptemgemina manent
Te Mavortis in urbe.

Vin-

Vincla hic, ſectaque fortitet 22
  ,Suffers ubera, & hic cruces,
  Clavoſque, ſcopulos ſuper
  Impoſtos, oleo, ac pice
  Et ferventia ahena.

Aſt hic innumerabilis 23
  Regi dat populus tamen
  Chriſto nomina; & integra,
  Virtute illius hinc abis,
  Inceptumque opus urges.

Tandem abſciſſa caput, Padus 24
  Prata rex ubi fluminum
  Dividit, ſubis aurea
  Victrix templa deum, poli
  Cives inter ovantes.

Ergo, o docta cohors, boni 25
  Paſtores, bona dicite
  Noſtrae carmina virgini,
  Nunc; & illius annua
  Laeti feſta novemus.

E P O D I

JUVENIS PASTORIS NOMINE.

LOcrorum decus, alma Venus, fortiſſima virgo:
  Te quando noſtrorum manus
Excita paſtorum, quota eſt, hic omnis in unum
  Collecta, tollit laudibus,

Ac

Ac tua feſta novat ſolito de more ſacrorum:
  Et rura circum ſuaviter
Nomine, diva, tuo reſonant, ſilvaeque, lacuſque,
  Monteſque mille cantibus;
An ſtultus taceam , numeroque allectus honeſto,
  Nullas iniverim vices ?
Muſaeique nihil ſtabit tibi muneris a me
  Vatum tot inter munera
Noſtrorum ? haud faciam, quamvis ſim viribus impar,
  Rudiſque carmen fundere;
Tu modo larga tuae mihi ſis opis aethere ab alto,
  Meumque conatum juves:
Cujus opem nemo incaſſum quaeſiverit unquam;
  Benignitas tanta eſt tua:
Tamque ingens in te divini gratia ſponſi,
  Ut deneget nihil tibi.
Et merito, tantum quoniam telluris obiſti,
  Caſus per omnes arduos,
Munere apoſtolico fungens, vexillaque in oras
  Tot diſſitas Chriſti inferens.
Felix ſorte tua, virgo, cui robore tanto
  Firmata ab alto pectora,
Cuique datum cor, tantarum & prudentia rerum,
  Fandique dives copia.
Tu Siculas, tuque Auſonias nunc circuis urbes:
  Nunc inquieti fluctibus
Te te das Adriae, Grajorumque oppida luſtras:
  Rerumque nunc pulcherrimam
Romam contendis, vanis erroribu' paſſim
  Humana purgans pectora .

Non te commorunt truculenti aut ora tyranni ,
  Diraeve tortorum manus :
Vincula non, manicaeve graves, & lamina & ignes:
  Non te ſecuris denique
Exſerti ſublata manu lictoris, & alte
  In colla labens terruit .
Felix ! commerita es tali quae dote hymenaeos ,
  Regiſque regna altiſſimi .
Salve: teque tuus noſter fac praeſide tutus
  Sit, virgo, coetus Arcadum:
Quo ſtudia haec, arteſque bonae, moreſque probati
  In urbe noſtra floreant .

MEDITATIO CHRISTI PASSIONIS.

TEn' ergo ab alta, Chriſte, pendentem cruce
Caſſumque vita cerno, largis & genas
Atque ora ceſſo, eheu, rigare fletibus?
Nam cui reſervem lacrymas tandem rei ?
Quaeſtuſque amaros, ac dolentes naenias ,
Cladique tantae plumbeus negem tuae ?
Te nempe caeli clara flerunt lumina :
Te bruta tellus: teque cunctarum parens
Natura rerum . Lucidas Phoebus comas
Turpatus atro pulvere, obſcuram induit
Repente nubem, orbique ſubducit diem .
Nec Luna minus argenteos crines ſecat ;
Ferruginaque in veſte teſtatur gravem
Doloris aeſtum, juſta dum facit tibi .
Quin magna nutant ipſa mundi moenia

Tremitque vaſto mixta terra murmure:
Suumque ita exſecratur admiſſum ſcelus,
Ut ſponte reddat multa vita corpora
Defuncta, ululatibus vias quae ingentibus
Complent, nimiſque humana corda territant.
Et ipſe praeſens mente cerno talia,
Nec membra mi pavore conrepunt tamen?
Nec ſalſo ocelli flumine ſcatent tamen?
Eheu nimis me ſaxeum, heu durum nimis!
An non mea tu, Chriſte, cauſa maxime
Tot dura paſſus? Anne vero civium
Vecors tuorum mens, & implacabilis
Tibi ira tantum invexit, aut quiſquam mali,
Quantum unus ego mortalium teterrimus?
Nam quis ſceleſtis anteit factis mihi?
Vel cuinam adeo mortuum tete magis
Oportuit? cui nempe plus redit boni.
Mihi ergo plus boni redit, qui nequior
Sum omnibus, fuere qui uſquam gentium
Eruntve poſthac, aut modo ſunt nequiſſimi.
Sed pulchra vero a me tibi ſtat gratia:
Pulchreque vero me prioris poenitet,
Pigetque vitae; nullum abire qui diem
Sinam, cruentem quin tuo me ſanguine,
Crudelis, ac te ſaepe ſuffigam cruci.
At tu benigne tange cor, pater, meum:
Tu ferreum cor frange. da flagrem tuo
Amore; animumque hoc denique avellam luto.
Da quaeſo, da: nam te ſine nil poſſum, pater.

Novitii Pastoris nomine.

P H A L E C I U M.

PAstores iterum Arcades frequenti
Coetu te celebramus, alma virgo:
Te, virgo Venus, Arcades frequenti
Coetu nunc canimus, tuosque honores
Omnes ex animo hac die novamus.
Haud illam canimus quae arundinosam
Nunc Gnidum colere, Uxiosque apertos,
Nunc sanctum Idalium, Paphumque celsam
Canunt falsiloqui impiique vates;
Sed te, quae nitidam, Venus, Pisaurum
Divesque Aletium, ac ferax Cytaeum
Bacchatamque jugis tuam celebras
Locrum praecipue, poloque in alto
Inter una choros deum beatos
Aurata triplici caput corolla
Incedis redimita, virginumque
Exerces choreis manum sequacem.
O quam te cupide canam tot inter
Vates egregios, tuas ad astra
Qui laudes hodie ferunt canendo.
Sed stulte faciam & parum pudenter:
Si qui sum nihili nimis poeta,
Par ire egregiis tot optimisque
Velle nunc videar sacris poetis.

Quare da veniam, meoſque ſponſum
Qui Patris Sapientia eſt, rogato,
Conatus juvet ut bonus, bonamque
Det mentem: ingeniique nemo noſtri
Ut ne ſpe cadat, anxii & laboris.
Sponſo namque tuo tibique, ſaxo,
Ac divis aliis, mei laboris
Quaeſtuſque ingenii ſtet omnis: adſis.
Dum tu diva mihi Venus virago,
Aetatemque meam tegas in aevum.

E P I G R A M M A.

PRo nobis quando crudelia ſunera paſſo
  Has tibi, Chriſte pater, more pio inferias
Ex animo facimus, meritoſque novamus honores
  Multis cum lacrymis flebilibuſque modis;
Aſpice nos, oramus; honos & ſi quis honeſtis
  Moribus, & merces ſi qua piis ſtudiis,
Noſtris rebus opem fer tempore, & impia verte
  Injuſtorum hominum, ſtultaque conſilia;
Qui ſibi, quae cupiunt, ſtatuentes cuncta licere,
  In noſtram immemores arma inimica movent
Paſtorum gentem, caram Matrique tibique,
  Laudatiſque viris, principibuſque bonis.
Abſterrentque novam pubem, parvoſque quirites
  Ne ſua dent noſtrae nomina militiae.
Ergo, Chriſte, bonam ſtultis his indue mentem,
  Noſque tuo ſalvos ſis face praeſidio.

PHALEUCIUM.

Non te, magne pater, (quod hic frequentes
Tot viri, juvenesque doctiores
Certatim faciunt) meis camoenis
Laudabo: haud etenim, tuaque dictum
Id sit cum venia, videre possum,
Vere quod valeam tibi referre
Laudi. Sed sapiens, pius, fidelis,
Justus, magnanimus, bonus, benignus,
Castusque, intrepidusque, candidusque es,
Ajunt. ajo & ego, probe diu qui
Te novi, omnigenasque praedicavi
Virtutes animo tuo repostas,
Quae castum deceant & absolutum
Virum pontificem. Quid autem eo? Anne
Tuas propterea putemus illas,
Laudemque inde tibi esse colligendam,
Quod ne tu ipse quidem putas probasque?
Nam nos saepe doces, boni quod usquam
Est nostrorum alicui, ejus esse habendam
Gratiam usque rei Deo potenti
Omnem, qui bonus unus & perennis
Fons est, & dator omnium bonorum.
Quid ergo faciam? Deum precabor
Ut tete incolumem, superstitemque
Diu perque diu det esse, quo nos,
In te quae bona tanta collocavit,
Diu, perque diu frui queamus.

EPIGRAMMA.

EJa, age ſponſe, bonis eſcis te largiter imple,
  Teque bono hoc imple ſponſe mero: Hymen adeſt.
Hymen adeſt: magniſque tibi nunc viribus uſus:
  Viresque, ac animos dant Ceres, & Bromius.
Anne parum credis tibi nunc ſuperare laborum?
  Magnum opus eſt, ajunt, vertere amoris agrum.
Inſtandum eſt operi aſſidue, penituſque medullis
  Exſudandum, ajunt; ut bene cultus ager
Ubere te ditet fructu; quo Sergia fructu
  Gens vigeat ſeclis innumerabilibus.
Et quo juncta domus Corealia geſtiat, amplis
  Utraque fortunis atque potens opibus.
Noſtraque laetetur quo demum patria Locrus:
  Magnorum Locrus magna virum genetrix.
Ergo, ſponſe, bonis eſcis te largiter imple:
  Vino imple, ac tanto ſis face par operi.

EPIGRAMMA.

URbano Octavo noſtri qui nominis auctor
  Templum cum junctis aedibus attribuit,
Tot memores meritorum, grati animi monumentum
  Ponimus unanimes effigiem ex lapide.

DISTICHON.

PHylacidae magni ora vides, quo Tybris in uno
Arnum, Sebethum, & provocat Eridanum.

EPODI.

QUantum Triptolemo segetes, oleaeque Minervae:
Quantum Liaeo pampini:
Tantum docte tibi debere fatentur, Abedon,
Politiores literae:
Quaesitas longo quas tu partasque labore
In patriam huc infers bonus;
Dividis inque tuos nullo cam foenore cives.
O ter quaterque, patria,
Felix: felices cives o terque quaterque:
Et nos beati plurimum,
Felicesque, datum quibus est virtute deorum
Hoc perfrui tanto bono.
O quam nostra tibi dignas persolvere grates
Urbs vellet, & cives tui!
Nosque adeo juvenes, quos moribus imbuis aureis,
Artesque quos bonas doces!
Dum Ciceronis opes nobis, aperisque Maronis,
Carique dites copias.
Sed nos pro meritis dignas persolvere grates
Quas possumus tandem tibi?
Nullas: ast, per nos certe, quod possumus unum,
Dum stabit hic immobilis

Mons:

Mons: pelagi & salsas Mericus fluet amnis in undas:
  Vitamque habebunt literae
Etruscae, ac latiae, semper nomenque manebit,
  Abedon, atque honos tuus.

E P O D I.

Tollenda virtus est ad astra gloria
  Quocunque sit loco sita:
Magis sed illa ornanda multo est laudibus,
  Nobisque amanda plurimum,
Ex eminenti quae loco renideat,
  Ipsis locata in regibus:
Tunc namque fructus ferre communi bono,
  Eosque largos didicit,
Quos ima nunquam possit. Ast illud grave
  Ac luctuosum maxime;
Verae quod assentando laudis regibus
  Plerumque gustatus perit.
Ut nationem dii, deaeque pessimam
  Perdant adulantum canum,
Potentiorum obsident qui limina,
  Bonis parati dentibus.
Omnes ferire, longiusque expellere,
  Ne vera Princeps audiat,
Sed multa peccet, quaeque peccet nesciat,
  Ipsi augeantur commodis.
Hac peste saepe, quod videmus, corruit
  Privata res & publica.
Hac peste reges saepius cadunt loco,

Boniſque ſunt deriſui:
Nuper miſellus ille ceu noſter fuit,
Exempla ne foris petam;
Qui falſus in delectu amicorum ſemel,
Dum rebus ornat omnibus
Malos, jacere dum probatos ſuſtinet,
Facit ruinam: retrahunt
Et ecce ſe fortunae amici proſperae,
Fortuna ubi mutat vices.
Mox & jacentem appetunt, bipennibus
Acciſam ut ornum ruſtici.
I nunc, amicos & tibi tales para:
I nunc meliores deſpice,
Qui vera praedicent, tibique praeſto ſint,
Quocumque fert neceſſitas:
Laudentque vere quidquid eſt laudabile:
Nihil loquantur ſubdole.
Quos inter ipſe te tuis ex laudibus
Sic orno, Caeſar optime,
Divis agendas maximas uti putem
Noctu diuque gratias,
Noſtrae dederunt civitati praeſidem
Quod te, virum virtutibus
Tot praeditum tantiſque. Prudentiſſimus
Tu nempe: tu caſtiſſimus
Es unus omnium poplos quotquot regunt:
Magiſque nemo affabilis:
Quo nemo ab omni & qui melius injuria
Et linguam abſtineat & manum.
Quare Deum, magnamque matrem virginem

Oran-

Orandum etiam puto omnibus ;
Quotquot moventur re ſua , ut te ſoſpitem
Servent diu & ſuperſtitem ;
Poſſint & hunc ut annuum laeti diem
Tuae unctionis centies
Celebrem habere ac millies cives mei,
Laetere tute & plurimum.

Ex tempore.

E P I G R A M M A.

AD caram acceſſus dominam interdictus amanti eſt,
Ac fandi coram copia nulla datur.
Ergo quid miſero faciendum ? Longius aedes
Adſpectet primo mane die: medio
Adſpectetque die : adſpectetque deinde ſupremo:
Et linguae faciant lintea ſparſa vicem.

E P I G R A M M A.

QUam tibi, dive puer, dum linquit littora curva
Sirenum , inſidi & ſeſe iterum pelagi
Paſtor Carminthus concredens fluctibus atris,
Ad patrios ſoſpes ſi remeaſſet agros,
Ceſpite de vivo ſurgentem voverat aram;
Hanc voti ecce reus dedicat, alme, tibi.
Deſuper atque novo tria ſpargit cymbia lacte,
Et ſpargit totidem cymbia plena mero;
Ardenteſque addit ceras, fumantia & addit
Thura ; nec agnellus, victima parva, deeſt.
Nec ſatis haec: eadem celebrabit feſta quotannis,
Vivere des puero tu modo, dive puer.

Lusus.

CAvere haec quatuor, senex, venena
 Memento senii; diuque vives.
Tu res per Veneris coito nunquam:
 Casus praecipites: graves catarrhos:
 Et fluxas fugito cacationes.

EPIGRAMMA.

POntificis qui, Jane, manu nunc fratris inunctus
 Auges mystarum, mysta novus, numerum;
Mox & pontificum, scito, numerumque decusque
 Augebis; fratres & simul unanimes,
Quos tu pontifices magnis virtutibus aequas,
 AEquabis meritis, ipso & honore mitrae.
Haec canere ipse modo potis est verissima Abedon
 Fata tibi. Phoebus cetera nosse negat.

EPIGRAMMA.

ETsi magnorum genitrix foecunda virorum
 Extitit, Antoni, gens tua perpetuo;
Haud tamen ullus erat, quem non virtute referres
 Pene puer; fraudi quod tibi quippe fuit
Unum. namque adeo quum te Libitina disertum
 Cerneret, atque fide, consilioque bonum;
Legitima aetatis rata jam spatia omnia dudum
 Confecisse senem, sustulit e medio.

Aſt oculos caſu ut pallentia jecit in ora:
Eheu me caecam, dixit, & ingemuit.

EPIGRAMMA.

QUae valide forma mihi primum, ac gentis honore,
Poſt etiam placita eſt valdius ingenuis
Moribus, ac pietate in me, ſtudioque fideli,
Hic jacet Hippolyte Grylla ſepulta mea.
Tu tumulum guttis luſtralibu' ſparge viator,
Manibus atque bonus dic bona verba piis.

EPIGRAMMA.

NUptarum decus, Hippolyte, de ſede beata
Accipe nunc caeli, quae tibi juſta tuus
Olim vir dictus lacrymans facio: ac prece eaſdem
Tu mihi, tu, ſedes obtine & hoſpitium,
Queis te mature rex eſt dignatus Olympi;
Nam mi vita nimis te ſine facta gravis.

EPITAPHIUM.

COnditur hoc tumulo quod erat mortale Leonis
Lucae Winthae. quid contrahis ora modo?
Offenditne hoſpes lucam legiſſe leonem?
Tuque leonem ergo expunge, repone bovem.
Immortale autem quae ſit loca poſtea adeptum
Si quaeras, leti tartara, opinor, habet;
Promerito vel ſaltem hoc uno, ruricularum
Quod cauſam accepto prodiderat pretio.

EPIGRAMMA.

QUod regere imperio populos haud Caesare nostro
Quis melior: quod sit relligione bonus,
Justus, magnanimus, sapiens, praeque omnibus unus
Optimus, haud mirum: est Roscius ille quidem.

EPIGRAMMA.

QUandoquidem reduces musas, & Palladis artes
Excepit noster Roscius hospitio,
Fxceptasque sinu fovet, ac laute accipit, ecquis
Non amet & musas, Palladis & studia?

De Hirundinibus.

EPIGRAMMA.

SEptima ab Aegypto redeunt aestate: viaque
Ab longa fessis pomaque delicias
Et puri faciunt latices. Assuesce labori
Ergo quisquis amas delicias faciles.

Laurentini mors (a).

OPtimus haec nofter pleno dum pectore vates
Carmina divino fundit correptus ab oeftro;
Mens animi paullum vacuas fuccedit in auras:
Iamque fecat nubes, lunamque & fidera fupra
Fertur, templa patris donec ftellantia magni
Laeta fubit, divorum & fe felicibus infert
Coetibus. Aeterni hic regis dum fufpicit alte
Aeternam majeftatem, explerique tuendo
Nulla poteft; facri quamvis ceffante furoris
Afflatu, negat illa tamen fe poffe teneri
Corporeis vinclis, terramque habitare minorem:
Ergo tenet caelum, vacuos mors occupat artus.
Sic Laurentinus moritur; fi mortuus ille
Dicendus, cujus felix anima immortali
Aevo, epulifque deum fumma cum pace fruatur:
Cujus & aeternis confignatum monumentis
In terris clarum vivat per fecula nomen.

E P O D I.

MIraee magne, noftra cui fe civitas
Cuftodiendam dedidit;
Fideque cujus noftra cunctorum falus,
Virtute & alta nititur:
Ecquae haec tua eft nunc factio?
Duum triumve audacium

Nihil

(a) *Quum celeberrimus Vates Franciscus Laurentinus, ob elegantiffimam Italicam* παράφρασιν Cantici trium puerorum *plus nimio oeftro perculfus effet, statim mifere occubuit.*

Nihil refifti publice? nil confuli
    Tuum faluti civium?
Nam perdiu eft, cum Spartacos oportuit
    Hos legibus coercitos,
Noftrifque abactos finibus dimittier
    In maximam malam crucem.
Tuas, fed efto, ut magnanimus es ac bonus,
    Injurias neglexeris:
At perfequi vel publicas faltem omnium
    Noftrum decuerat Arcadum:
Nemo fufurros edat hic inconditos:
    Jam nemo turbet, dum meus
Magnum ille paftor Herculem canit fuum:
    Te nemo, nofque negligat.
Hanc namque ad omnes pertinere injuriam
    Ecquis gravem non fentiat,
Hiare prorfus hic licere nemini,
    Nifi quis horum jufferit:
Nullofque fcire literas putarier,
    Quos non ii putaverint?
Quando ergo nobis nulla fpes eft relliqua
    A legibus tacentibus;
Unum quod eft id infuper, cavebimus
    Nobis at ipfi ab improbis.

PHA-

PHALEUCIUM.

Est noster fateor Vacerra dives,
Beatusque, domi forisque tantos
Qui greges alat usque servulorum:
Aedes cui niteant bonis refertae
Antiquis tabulis, novisque, docta
Quas pinxit manus, & libris disertis
Multis omne genus, rubrica & auro
Distinctis, legere indisertus ille
Quos nescit tamen. At deum Vacerram
Factum munere divitem & beatum,
Sortes cui nimium bonae fuissent
Hortanae, id nego pernegoque. quid tum?
Nil est. Si sapiat, meos potiri
Agros me patietur, & mearum
Lana & lacte ovium manum abstinebit.
Nam si concierit Vacerra bilem
In nasum semel: ilicet; patebunt
Sortes faxo, quibus sit ipse vere
Factus tam cito dives & beatus.

EPIGRAMMA.

Anne parum fuerat, qui mercenarius esses,
Ipsum mox dominum vincere divitiis:
Fructibus atque illum magnis fraudasse tot annos
Agrorum, ac ovium, quidquid ubique & erat;
Si non & patriis pepulisses finibus, ipsos

Ejus

Ejus agros, ejus quo poterere & oves?
Scilicet iratis natus tu pessime divis,
Qui nullo careas aut vitio, aut scelere.

EPIGRAMMA.

POndera desossi mihi non ingentia, Divi,
Auri atque argenti, non dederitis opes.
Stercora quandoquidem auro inducere divitiores
Gaudent: nosque adeo stercora despiciunt;
Hoc date mi faciles oro unum: demite scurrae
Illi vos currus, demite dj famulos,
Et censum, & titulos, & collo insigne decorum,
Quo contra aequato cernere Marte queam.
Iam discat, stulto cordatus, faxo, quid inter
Sit. Non me posthac, sat scio, despiciet.

AD IO: BAPTISTAM COLLICOLAM
Principem juventutis.

TUus quandoquidem, tuique patris,
Praeclari hercle viri optimique, amicus
Millus, aut dator, aut datator idem
Sit, nil denique dat; datatque solum
Autem mi bona verba; conficitque
Fames me interea, & gravis senectus:
Illi cur ego non malam datatim
Rem tandem incipiam dare & datare?
Nam quam rem rogitas? malos iambos
Malos hendecasyllabos, amari &

Tetri

Tetri quidquid habent meae Camoenae.
Aſt nil promoveo, & caput periclis
Oppono. fateor: ſed id mea autem
Quid? ſéptem novies novas ariſtas
Qui vidi; & Libitina cui ſit inſtans
A tergo; ac peream labore in horas?
Aſt nihil temere, bonoque mori
Admittam varium, & meo inſtituto,
Quamvis me aſſidui enicent labores.
Quin illi benedixero, merenti,
Ne quid diſſimulem, licet puſille,
De me prorſum aliquid: bonique, & aequi
Quod fecit, memor uſque praedicabo,
Dum vivam. Sed id eſt nimis puſillum,
Praedixi, ſenio meo, meaque
Pro re, praeque aliis uti datur, qui
Certe me nimio minus merentur.
Ergo te rogo plurimum, Ioannes,
Urbis delicium decuſque Romae,
Spes & delicium tui parentis,
Tuum concilia tuo ciienti
Millum. Orato aliquid mihi benignus
Det nunc inſuper, & meae ſenectae
Tandem proſpiciat. ſcio obtinebis,
Si voles, facile, optime o patrone.

EPIGRAMMA.

ABjete quae secta surgit domus, omnibus aeque
Atque sibi aedificat Philamarinus eam,
Perfugium cum terra tremit; quod saepe benigni
Divi adsunt homini, si roget, & faciat.

EPIGRAMMA.

HAec est illa dies, lituo, trabeaque, mitraque
Qua datus est primum Caesar in urbe Remi.
Quem pater ut vidit flavo tunc Tybris ab amne,
Lividus haec fertur dicta dedisse super:
Em quo pauper aquis unus nos sponte Tanager
Nunc uno tandem provocat, ac superat!

EPIGRAMMA.

SUnt perpauca quidem, sunt tenuia nostra, fatemur,
Haec Musaea, tibi munera quae ferimus.
Plura brevi sed erunt, multo & majora profecto,
Digna abs te Musis praemia si maneant.

EPIGRAMMA.

FErtur Alexandrum spoliis Orientis opimum
Sic perconctatus quispiam honestus homo.
Thesauros ubi nam tantos, rex magne, coactos
Servas? ille autem talia dicta homini

Rep.

Repposuisse, & sese digna, & digna magistro:
    Thesauri ecce mei hic, ecce meae hic & opes;
Et signasse manu circum uno tempore amicos.
    Dives ad exemplum hoc num mihi Caesar erit?
Haud equidem credo, verum pauperrimus Irus,
    Qui haud bene cuique velit, cui male quisque velit.

Ad Franciscum Xaverium Franzeum.

EPIGRAMMA.

QUod, Francisce, tuum celeri tibi funere fratrem
    Hunc alium defles insatiabiliter,
Haud facis ipse pie, sapientum aut more virorum;
    Namque pius nemo laetitiae invideat
Carorum, divisque resistat; & est sapientum;
    Omnia quae perdunt perdita ut illa putent.
Si pius ergo, si sapiens audireque, & esse
    Vis, ne fle. haud talem te, bone, flere decet.

Amplifs. Roccellae Principi, ejusq. Concordissimae Conjugi.

INSCRIPTIO.

PAstor. Locridius. agri. Phalerusii.
    Carafaeorum. ille. germen. inclytum.
  Dorisque. germen. Auriarum. nobile.
  Illius. uxor. optima. &. sanctissima.

Amphifienfium . principes . ampliffimi .
Quod . noftrum . honeftarunt . fua . praefentia.
Coetum . Locrenfis . Arcadum . coloniae .
Hujufce . facti . fama . ne . intercideret .
Scripto . caverunt . marmore .
PP . AA . C . L .

EPITAPHIUM.

HOfpes, refifte quaefo paullum, & haec lege.
Hoc Tranfpadanus ille Caefar Rofcius
Jacet fepulchro conditus, qui primulum
Acherunfiorum praefuit rebus facris,
Noftrifque poft Caftrenfium. Hujus tu genus
Ne quaere: primum gentis is decus fuae.
Nunc qui vir accipe . Ingenii magni, fciens
Prudenfque rerum plurimarum, quae fuum
Munus juvarent. Semper in negotio;
Fractufque numquam mole curarum gravi .
Solvenda in opera affiduus: idem diligens
Implere quidquid Pontifex debet bonus .
Benignus idem; quod daret catus tamen
Sibique fubducere, & fuis hiantibus
Servis, aliunde fuetus & conradere.
Bonos malofque juxta habere: ac neminem
Peculiarem adfcifcere: id vero fuit
Solemne homini: nullique fe contradere;
Nullique prorfus obfequi; ac raro fidem
Praeftare dictorum. Unde factum, ut omnibus
Invifus aeque vita ab hac difcederet .
Haec fcire te volebam. abire nunc licet .

EPI-

EPITAPHIUM.

EXterminator ille ſus praedivitis
Albenſis agri, omniſque plebis ruſticae
Horror pavorque, maxima & calamitas,
Alter qui fuerat Herculis magni labor,
Erimanthioque durior, ſi viveret
Aetate noſtra hac Hercules fortiſſimus:
Sus ille, caeli ab arce tactus fulmine,
Incondita hac ſub mole ſaxorum jacet.
Vos ergo, cives, hoſpiteſque, quot feret
Huc caſus aliquis, veſtra ſive curioſitas,
Ne deeſte officio, quaeſo, verum beſtiae,
Ut ſeſe ubi volutet uſque ſuppetat,
Locum excacate largiter circum undique;
Tum retro curſim voſmet in pedes date.

PHALEUCIUM.

QUod te ſaepe virum gravem, diſertum,
Principemque locum inter obtinentem
Iſtos, quotquot habet, diſertiores
Princeps Parthenope urbium diſertos,
Audiremque bonum, boniſque carum;
Erat cur ego plurimum te amarem,
Monſoline, tibique gratularer,
Noſtraeque Auſoniae, urbiumque ocello
Reginae urbi adeo, beata ſemper
Quae virtute, viriſque foeta magnis.

Quod autem Angelius meus recenter
Scribit, quod cupide cupiret unum,
Tuorum facile in gregem receptum
Abs tete, & ſapientiae ad officinam
Illam tam celebrem, eloquentiaeque,
Jamdudum tua tecta ventitare,
Sectari & fora curiaſque circum
Te coepiſſe; magis, magiſque multo eſt,
Te quapropter amem, atque amare porro
Meos ſim reliquos paratus annos.
Quod nulla ab ratione ne videri
Dictum poſſit, & abrogata verbo
Huic noſtro tua ſit fides; amavi
Illum, ſcito, ego, liberaliterque
Eduxi a puero, ut meum, parato
Ejus ingenio bonas ad artes
Omnes, ac celeri, pudore & illo
Captus, quo proprio ſibi potenter
Adjungit hominum, tenetque amores.
Literas nec enim elegantiores
Ejus, nec ſtudia utriuſque linguae,
Nec & multiplicem eruditionem
Opus dicere, cuncta quae tibi aeque
Mecum cognita jam puto eſſe dudum.
Unum dico: ibi tute quidquid uſquam
Curaeque, auxiliique, praeſidique
Amoriſque loces tui, futurum
Ut laetere: opus ipſe cum videbis,
Quod ſpero, egregium tua probari
Ab arte, atque tibi illud eſſe laudi.

Aſt

Aſt cum laetitia , novaque laude
Tua hac , debitio putetur , oro ,
Cumprimis mea gratiae , bonumque
Nomen ipſe habear, quod expedite
Solvam , ne dubita , a meis camoenis.

J A M B I. (*)

EN laeta venit illa jam tandem dies,
Tuis potiri qua, Michael, amoribus
Tibi daretur . En tuas nunc denique
A matre , fratribuſque , tota & nobili
Cognatione adducta ad aedes Martia .
Virgo illa Martia , flos , decuſque eximium
Locrenſium viraginum in manus datur
Habenda ſemper , donec aetas ſuppetat.
Beate ! cui tam pulchra , diis faventibus,
Tam bella , tam venuſta iiſque moribus
Educta , fruſtra mille quam optarunt proci ,
Quam mille fruſtra ſedulae matres nurum,
Obvenit uxor . En parens annis tua
Defeſſa , totque paſſa acerbae vulnera
Profunda fortis , aegris ut moleſtiis
Exſputis, animo jamdiu quot haeſerant,
Vultus priores induit ; bella & nuru
Quam geſtit, una & geſtiunt fratres vide,
Concordes animae! quamque parte ex altera
Et ſocrus optima, & boni & honeſtiſſimi
Fratres, virique, feminaeque nobiles

Pro-

(*) *In nuptiis Michaelis Arcani, & Martiae Piconeriae.*

Propinquiores ſanguine! ut omnis denique
Urbs noſtra, cives, hoſpiteſque clamitant,
Ac verba dicunt hiſce nuptiis bona!
Nam quid ego de me praedicem?, cui quantus es
Seu litteris, ſeu moribus, ſeu civium
Exiſtimatione, gratia, & fide,
Benignus acceptum refers, & me ſenem
Colis, frequentas, & foves, & maxime
Quibus ſit uſus cunque rebus adjuvas?
Non ipſe te te Michael carum mutua
Habebo ſemper donec implacabilis
Mihi haud recidat tenue ſtamen Atropos?
Non & tibi fortuna amica aut aſpera
Quid afferat, mihique non ſimul ferat?
Ergo tibi adeptae, Martia, nunc talem virum
Virtute, genere, moribuſque praeditum,
Unumque juvenum principem Locrenſium
In quo repoſta ſit ſpes una civium:
Talemque adepto tibi Michael virginem
Primariam, quae clauſo uti flos hortulo
Secreta adhuc latebat in matris ſinu,
Tibique datur, ut perfruare, propria,
Non gratuler? non dixerim vobis bene?
Quin grator, & jucunda laeta proſpera
Et fauſta cuncta comprecor; nec gaudiis
Veſtris quid amari iniqua ſors immiſceat,
Nec rebus ullis ulla diſcrepantia,
Sed ut cor unum, & mens ut una utriuſque ſit,
Det oro caeli rex. det oro & liberos
Vobis & ore, & moribus ſimillimos,

Ta-

Talesque ut animi ac sortis omnibus bonis
Possint tueri priscam in aevum gloriam
Arcanaeque domus, atque Piconeriae;
Suisque bene de civibus mererier.
Demum, Michael tibi, tibique, Martia,
Ut hac juventa, hac forma, & his vos gaudiis
Vivatis annos, auguror, Mathusales.

J A M B I.

Sophista quondam Grunnius quidam fuit
Porcellus, omnes qui sophistas illius
Aevi repressit captiosos maxime,
Qui saepe lana de caprina disputant,
Ipsoque cum Deo cavillantur mali.
Cujus rei testem affero Luscinium,
Germana & illum, non fide graeca virum.
Porcinae id altis nationis laudibus
Sophisticaeque id nationis gloriae,
Quod deerat unum, nolui silentio
Omnino praeterier: nostro gregi
Possent vitio ne vertere adversarii.

Ad Carolum Miliaccium.

E P I G R A M M A.

NE patruum fle, Carle, tuum, fat fleverit illum,
  Quod facit effliftim, patria noftra Locrus,
Oppidaque & terrae flerint, & litora circum
  Quot fuperi infernique alluit unda maris,
Nomen ubi tam grande fuit dum vita maneret,
  Virtutis cuftos, & pius, & fapiens:
Tuque iter inceptum quantum pote confice raptim,
  Et patruum nobis ocyus ipfe refer;
Quo decore ufque novo urbs haec geftiat aucta, tuaque
  Caufa noftra magis fefe amet Oenotria.

Ad Laurentium Clementem, Marchionem S. Lucae, Placanicae &c.

P H A L E U C I U M.

JAm dudum fateor, nimifque dudum
Factum, quum nomine tuo libelli
Sunt mei mihi redditi prope omnes
Quotquot villula parva continebat
Argillufia noftra: quam fecundo
Annos poft quatuor fceleftus ille
Latro confodiens, bonique quidquid
Inftrumenti ibi ruftici placebat

No

Non tantum rapuit, ſed auſus ipſos
Eſt auferre etiam ſacros poetas
Scriptoreſque alios, nefas! profana
Attrectare manu, Placanicaeque
Oppido in medio tuo iſto habere
Venales, dare vel quibus placebat;
Nec grates ago, muneriſque ſolvo
Quod jam debueram a meis camoenis.
Sed non factum alia id profecto cauſa
Niſi quod ſuper inſuperque & uſque
Tot morbi in miſerum ſenem recoctum
Graſſantes, animique, corporiſque
Vires conficiunt magis magiſque.
Quare ne vitio velim quis aſper
Id auſit mihi vertere immerenti:
Abs te namque nefas foret, vereri
Quicquam tale, viro gravi optimoque,
Leni ac magnanimo, boniſque facto
Doctiſque ab ſtudiis, bono ac diſerto:
Et qui tam ſapiens es atque fortis,
Ut quicquid veniat quod ipſe nolis,
Suſque deque habeas, dolore nullo.
Ego ſcilicet ut reverſus Urbe
Annos poſt novies ſenex quaternos
Adveni in patriam, tuaſque laudes
Exaudiebam homines domi foriſque,
Ac circum undique ſaepe praedicantes;
Illo ex tempore plurimum te amare
Coepi, amicitiamque demereri
Tuam concupii, quibus valerem

 Re-

Rebus officiisque: quum rogatus
A me, continuo meos libellos
Scrutare, invenis, & mihi remittis.
Non grates agerem, ac referre vellem
Quas possem quoque maximas, sed excors
Tam, levisque forem, aut superbus idem,
Ut te negligerem, omni honore dignum?
Haud fieri id pote; nam licet vetustas
Fortunas & opes domus, genusque
Praeclarum ipse tuum, meo instituto
Modo praeteream, potentiores
Laudaro tamen usque & usque cunctos,
Sortis munera qui locent beata
Quam possint mage recte, ut ipse tute
Facis, Socratica tam ab arte magnus.
Atque hinc te populi, colunt quot aevum
Suo te domino, velut superne
Demissus fueris suum saluti;
Mortalesque alii, quibus paratus
Praesidio, auxilioque adesse semper;
Et qui denique cumque amore capti
Sunt virtutis, eamque fortiterque
Continenter & usque persequuntur;
Gaudent te incolumi, ac Deum precantur,
Tibi ut Nestorios benignus annos
Det, quos perpetua exigas juventa
Laetus, non ut ego meos. Valeto.

ELEGIA.

DIva Syracosiae decus urbis, legiferarum
  Quae celsas arces, & cava saxa Locrum
Concelebras haec nostra; oculorum quando potentem
  Cunctarum rerum te Pater ipse potens
Esse dedit, miserum ne despice Abedona quaeso,
  Quem mala tanta premunt usque nova, atque nova.
Nam qui tot facile senii tolerare suetus
  Morbos, atque aegri tempora quidquid habent,
Et latera & febres, artusque manusque trementes,
  Atque hebetes aures, & mala alia atque alia;
Insuper obscura tenebrarum lumina nocte,
  Qua gravior clades nulla homini esse potest;
Hanc oro nigram mihi Lucia discute noctem
  Ne vivus peream mortuus ante diem.
Anne isthoc vitae reliquum quod denique restat
  In tenebris agitem? vae mihi vae misero!
Nec visenda mihi Argillusia villula posthac?
  Nec fructus potero carpere quos serui?
Nullaque amicorum, qui invisant, gaudia laeto
  E vultu posthac concipienda mihi?
A doctis saltem possim (qua nempe retenta
  Haud miser omnino commoditate forem)
Quaerere sueta meis solatia dulcia libris:
  Quod frustra sperem, lumine si careo. (*)

Ad

(*) *Deest finis.*

Ad Andream Serraum.

PHALEUCIUM.

QUem, Serrae, mihi a meo dedisti
Habendum Angelio tuum libellum,
Accepi; utque jacens toro insidebam
Nullo me valui tenere pacto,
Quin vel partem aliquam legendo cursim
Praegustarem. Avide ergo eum resigno
Percurroque oculis; simulque ab omni
Abstractus animi repente sensu,
Sum visus mihi disputationi
Marci Tullii adesse in urbe Roma,
Cum Brutoque suis Atticoque amicis,
In xysto spatiantis aedium, quas
Tribuni eruerat furor procacis,
Postque ardens populi studium integrarat.
Nec mirum, simile utrobique namque
Dicendi genus est: ubique & ordo
Est rerum similis, simillimusque
Verborum nitor, aptaque & jucunda
Tum comprensio, nullibique adhaerens.
Atque unum quoque idemque pene habendum
Est, summi eximiam exhibere formam
Oratoris, ut ille fecit, atque
Perfecti Catechistae, ut ipse tute
Aeque nunc facis, & pii, & diserti;

Quam-

Quamvis res graviorque fanctiorque
Sit multo labor hic tuus putandus.
Ergo de aureolo hoc tuo libello
Amo te valide, ac amabo femper
Dum vivam; atque adeo magis magifque,
In gregem quoniam tuorum amicorum
Accepfti facile, quod ipfe tanti
Feci, amicitiam potentioris
Quanti non facerem viri & beati.
Nunc ut de me aliquid meifque difcas
Vitae cafibus, id quod ipfe valde
Audio te cupere, haec notanda duxi
A meme breviter tibi, & modefte.
Illud principio at fcias oportet,
Andrea optime; veris haec tepentis
Octogies ego terque decucurri
Adhuc tempora; primulumque Locris
Ut quivi in patria meo perungi
Myftes tempore, plufculum refifto
Hic annum, ac alacre viam capeffo
Dum vindemia confit, atque ad Urbem
Recta. Caufidicos ibi ipfe primo
Sector, atque fori improbos labores,
Sperans propediem fore, ut referrem
Unctius inde caput, meafque uti res
Laute conftabilirem; at ejus artis
Eft brevi puditum, ac mei mifertum,
Aevum qui tererem nimis molefte
Ingrateque meum; mihique demum
Iratus graviter, meas recurro ad

Arte

Artes Palladias , facrafque Mufas.
Queis freto facile viros potentes
Principefque , Patrefque purpuratos
Invenire datur , modo hunc , modo illum,
Qui fcribam ultro fuum me habere vellent.
Quorum Cofcia , & Alberonus ; ille
Et dein tertius , a fuo Vacerra
Qui tam perfidiofe amariterque
Verfatufque dolis , eoque adactus
Fuit denique, uti aulicos fere omnes
Dimiffos faceret , domique claufus
Senatu , ac populo diu abftineret.
Nam dimiffus & una ego , meas ad
Romae , quas proprias mihi pararam ,
Aedes me refero fenex dierum
Haud factus numero , fed ante tempus ;
Mihi nam volo dum-nimis placere
Scribendo, laterifque pectorifque
Praeter ingenuas levefque labes,
Iam coeptaram aliis aliifque morbis
Opportunior effe quafque in horas.
Et jam luminibus minus valebam ,
Pejufque auribus : ingruebat autem,
Morborumque fuas trahebat omnes
Poft fefe celerans fenecta turmas.
Ergo quid facerem ? domum revertor
Demum poft fegetes quater novenas;
Quae res & mihi , patriaeque juxta
Magno res cecidit bono , & perenni
Communique hominum : vires priores

Nam

Nam brevi reparans, politiores
Inferre, haud mora, literas docendo
Aggreſſus, potui viam juventae
Commonſtrare novam brevem expeditam
Ducentemque; novem & ſimul ſorores
Huc poſtliminio velut reduxe;
Paſtorumque manum ſacris Minervae
Pollentem ſtudiis, canendi & arte
Claram frondiferis cito e Lycei
Cylleneſque jugis ad hoſce noſtros,
Statim, quos colerent agros, vocaſſe:
Quos inter medium bene eruditi
Me perſaepe viri & quidem faventes,
Multa haud illepidis ſenem audiebant
Ludentem numeris nec inficetis.
Atque o tempora ſcilicet beata,
Illos quum valui improbos domare
Ineptoſque homines ridiculoſque,
Tantum qui dederant mihi negoti,
Ac primae ingeniiſque, moribuſque
Aetatis operam dare excolendis,
Deque meis bene civibus mereri
Poſſe pro veteri meo inſtituto!
Sed nil hic proprie uſquequaque gaudj
In terra eſt homini. Febri repente
Horrente opprimor ante quinque circa
Annos; quae miſerum ſenem necaſſet,
Ni cortex fuerat beatus ille,
Quem Peruvia mittit, & ſaluti
Mi dein ſaepe fuit, ſimulque multis.

Nam quid repetam manusque & artus
Trementes: stomachum & minus terentem
Quae fumo omnia : roscidosque ocellos
Usque mutua , & usque lippientes
Noctes atque dies: quid & stupentes
Sensus quosque magis magisque semper?
Postremo ecquid opus referre morbi
Illud tam gravis atque pertinacis,
Nuper quod fatuus mihi ebriusque
Tiro pharmacopolius irrogavit ,
Quicum sex prope luctor usque lunas?
Atque hic dicere de meis fuisset
Locus moribus ; ac studio flagrante
Laudis perpetuo ; sed occupatum
In hujusce modi aureis libellis
Scribendis hominem , scholae & labore
Publico , graviter mihi viderer
In commune bonum decusque secli
Peccare , retinendo vel parumper.

Ad Dominicum Malarbium

PHALEUCIUM.

MAlarbi optime, & omnium quot unquam
Amicos habui foris domique
Ubicumque dies adhuc peregi
Meos, commodiorque gratiorque;
Ecquas ipse tibi gratias rependam
Tantis pro officiis laboribusque

Susceptis alacre in meis libellis?
Hos ego Angelio meo libellos,
Ut scias, iterum mei videndi
Quum venit studio Locros, domoque
Tota dispiceret humi jacentes
Blatteisque, tineisque, muribusque
Expostos misere cibos, roganti
Promisi, modo nomine utriusque
Nostrorum tibi redderet, tuique
In illis animi ecqua mens futura
Disceret, mihi & ocyus referret.
Is ad te rediit, mihique paucos
Post dies mea jussa facta scribit:
Chartas se exhibuisse, eas benigne
Te excepisse, avideque cum legisses
Partem tute aliquam, addidisse verba haec:
Tete illas nihil esse pernegare.
Quod ego accipiens, in tuo acquievi
Prorsus judicio, typisque dandas
Promisi, modo ab omnibus recepsset
Mendis ac vitiis ineptiisque
Abstersas opera tua futuras.
Id quod tam bene tamque diligenter
Praestas, quam fieri a viro decebat
Quem fide gravitate litterisque
Clarum ac omnigena eruditione
Omnes suspiciunt probi ac diserti.
Atque illas utinam queam, Malarbi
Amicissime, gratias referre,
Jure quas tibi debeo; sed illud

 Qui

Qui pote eſt fieri gravi atque inerti
Senecta, ingeniique tarditate,
His morbis patriae, hoc pudore nullo
Injuſtorum hominum, mihi negoti
Qui tantum facere uſque & uſque perſtant,
Inſuavis nimis ut ſit ipſa vita?
Sed haec omnia ſuſque deque, ſpectans
Unum id quidquid ago, omnium potenti
Ut rerum placeam, omnibuſque honeſtis
Viris, praecipue & bonis amicis,
Qui ſeſe inter amant colunt monentque.
Aſt ego tamen, unice quod unum
Verbis mi facile, Deum precabor
Te mei ſuperare det benignus
Aevi tempora ſoſpitem ac beatum,
Immortale decus tuae additurum
Laudi, & praeſidium ſeveriori
Matheſi, artibus & laborioſis.

F I N I S.

Comes Castruccius Bonamicius Francisco Nicolao.

S. P. D.

NIcolaum Angelium cum ego per se, juvenem bonarum artium studiosum, & saepe video & libenter, tum etiam libentius, quod sermones multos, mihique suavissimos de te habet, qui plerumque ad ingenium pertinent, doctrinam, atque humanitatem tuam. Facit enim nostra vetus amicitia, nullumque, dum Romae eramus, abs te officii erga me, studiique munus praetermissum, ut tuis valde laudibus delecter. Quod vero nuper ad me tuum de Diva Venere Carmen ille attulit, itaque mecum est loquutus, ut probe intelligerem laborare te, ne meum de eo carmine judicium tibi denegarem, duplici me voluptate cumulavit. Nam & jucundum mihi fuit carmen legere aureum, optimaeque imitationis, & elegantis ingenii luminibus resperfum, te denique dignum: & audire quanti me faceres, quem unum maxime ad judicandum vocasses de eximio poemate, non potuit non esse gratissimum. Equidem existimo in tanta bonorum poetarum paucitate summam te in illo Carmine consequi famam optimi vatis, quam etiam non mediocrem esses consequutus, si Lucretii Virgiliique florerent. Quanta enim in inveniendo prudentia, atque amoenitas! Quam perspicuus rerum ordo! Quam non ineptus verborum ornatus! Nihil praeterea non latine, nihil non dictum magnifice; ut argumentum

non

non ſatis illud quidem copioſum , & grande apta tui Carminis , & varia compoſitione vim quandam , atque ubertatem aſſequatur . Neque iſtud mihi mirum eſſe debet , qui tuorum ſtudiorum ſenſum , & rationem jampridem noverim ; rarum potius videri debet , cum temporum noſtrorum in optimis ſtudiis negligentiam conſidero , & quam non dico exiguus , ſed nullus jam ſit fructus laborum egregiorum . . . . Itaque & tu me , ſi quando erit otium a militia , ... referre videbis ad manſuetiores Muſas , & ego te valde fortunatum judico , qui in ſolitudinem quandam ſeceſſeris , ubi non videas homines ignaviſſimos , quaſi de aliquo illuſtri facinore , gloriari de contemptu literarum , & habeas jucundiſſima ſubſidia ſenectutis ruſticationem , & Muſas . Magnae etiam voluptati tibi eſſe debet , in iis te eſſe locis , in quibus magnos olim viros magnaeque ſapientiae fama praeditos accepimus eſſe verſatos : & facis tu quidem , deducta Arcadum poetarum colonia ; excitatiſque tuorum civium ingeniis , ut Locri tui antiquiſſimae laudis renovatione gaudeant . Reliquum eſt ut mihi gaudeam , quod in tanto temporis & locorum intervallo non penitus exciderim memoria tua , tibique vero gratuler , quod in literato ocio vivere liceat , teque horter , ut ea proferas in lucem , quae tuae ſint patriae ornamento , tuiſque amicis voluptati ; mihi praeſertim , qui & vetuſtate amicitiae , & ſimilitudine ſtudiorum , in te amando , colendoque , vel omnibus anteeo , vel nemini quidem cedo . Vale .

Neapoli IV. Kalendas Octobris A. MDCCLVI.

ERRATA	*SIC CORRIGITO*
F. 15. v. 420. ſuſpendit	ſuſpendis
F. 16. v. 462. Paraſceves, Agathonis	Paraſceves Agathonis
F. 21. v. 605. Exultatque	Exſultatque
F. 37. v. 408. ſepe	ſepe
F. 45. v. 47. tam	tum
F. 48. v. 77. Quos	quot
F. 51. v. 27. turpaveris	conſperſeris
F. 53. v. 71. extet	exſtet
F. 54. v. 148. viſendi ſtudio &c.	Viſendi ſtudio loca circum, undantque viciſſim Seſe trudendo, haud ſecus ac &c.
F. 55. v. 159. Hinc inde	utrinque
F. 57. v. 195. ſciſſum que	ſciſſumque
F. 139. PHALECIUM	PHALEUCIUM
F. 131. v. 29. Ut ne	Uti ſpe cadat
F. 135. diſt. 8. Bonis	Bonos
F. 141. v. 5. factio?	factio? licentiæ
Ibid. in not. atis	fatis
F. 148. v. 4. Acherunſiorum	Acheruſiorum
F. 149. v. 10. ſive	ſeu
F. 152. v. 11. præterier	praeteririer
F. 149. v. 7. Accepſti	Me accepſti
F. 160. v. 8. amariterque	avariterque
F. 163. v. 20. Promiſi	Permiſi
F. 69. v. 52. Tum biduum jejuna. Ego &c.	Tum porro biduum jejunato. Eja age abito.

Fol. 140. In epigrammate *ſeptima ab Aegypto*, perperam appoſitus eſt ille titulus *De hirundinibus* ab editore; ab auctore etenim admonitus reſcivit epigramma illud pertinere ad picturam quamdam, qua viſebatur Virgo Maria cum puero Jeſu, & Joſephus, poſt ſeptennium in Galileam ex Aegypto redeuntes, atque in itinere prope rivulum conſidentes.

Dominici Jodinnij.

